De canticorum Aeschyleorum compositione.

I. De Terpandrea, quae vocatur, compositione.

Primus Prienius[1]) hanc compositionis normam in canticis Aeschyleis repperisse sibi visus est: in stropha semper novi aliquid proferri, quod in antistropha accuratius tractaretur. Contra rectissime Westphalus[2]) contendit perpauca exstare carmina, quae non contrarium docerent. Ipse hanc normam statuit: „Aeschylus verlegt den Hauptgedanken, ohne Rücksicht auf Strophe und Antistrophe, jedesmal in die Mitte des Chorliedes, die übrigen Teile sind um diesen Mittelpunkt so gruppirt, daß der dem Centrum vorausgehende Teil mit dem dem Centrum nachfolgenden im Inhalt parallel steht, und daß wiederum der diesen umschliessenden Partieen vorausgehende und der ihnen nachfolgende Teil einander analog sind.“ Ac longa quidem disquisitione demonstrare conatus est normam illam a nomorum poetis inventam et excultam ad poësin choricam transisse[3]), imprimis cantica Aeschylea, nisi hemichoriis tribuenda essent, secundum Terpandri normam composita esse[4]), quorum alia omnes schematis Terpandrei partes exhibere, alia tres saltem partes primarias. Hominum doctorum iudicia de hac Westphali opinione inter se discrepant.

Hensius[5]) eam comprobavit atque collaudavit, in universum cum Westphalo et Hensio consentit Weckleinius,[6]) qui tamen nonnullos illius errores animadvertit. Leutschio[7]) Westphali inventum praeclarissimum videtur et maximi ad tractandam poësin Graecam momenti. Reimannus[8]) Westphali auctoritatem sequitur. Oberdickius in Supplicum editione cantica secundum nomum Terpandreum disposuit. De Pindaro consentiunt cum Westphalo M. Schmidtius et Mezgerus, qui Terpandri schema editionibus suis adhibuerunt et Luebbertus (in programmate Bonnensi 1885) novis, ut putat, causis adiectis ad confirmandam Westphali sententiam. Muffius[9]) concedit quidem canticorum Aeschyleorum compositionem nomorum similem esse, sed quod distributio secundum illam normam facta cum stropharum divisione discrepet, ad carmina strophica accommodari posse negat. Similiter iudicat Buchholtzius.[10]) Quin etiam

---

[1]) Rhein. Mus. VI. p. 223. Probavit hanc sententiam Naegelsbach. Abhdlg. d. kgl. Bayr. Akad. d. W. 1854. p. 8.

2) Westphal. Proleg. zu Aesch. Trag. p. 70.

[3]) cfr. Westphal. Gesch. d. alten Musik. I. p. 63. Catull. Prol. p. 95.

[4]) Solam Supplicum parodum Terpandri normam sequi et partim ab hemichoriis cantatam esse putat. cfr. p. 154 sqq.

[5]) Philol. Anz. III. p. 289.

[6]) Philol. XXXII. p. 735.

[7]) Philol. Anz. III. p. 43, 578. Philol. XXXI. p. 151. XXIX. p. 512.

[8]) Studien z. gr. Musik-Gesch. A. p. 4. 14. 18.

[9]) Chor. Technik des Soph. p. 156.

[10]) Philol. XXXIII. p. 220.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Arnoldtus[1]) granditatem Aeschyleam laedi existimat, si quis cantica secundum schema Terpandreum distribuere velit. Acerrime in Westphalum invehitur H. Schmidtius[2]) totum illius librum ad decipiendos credulos scriptum esse contendens. Jam cum hic imprimis Pindari compositionem a schemate Terpandreo defenderit, Arnoldtus obiter rem tangat, Westphali autem argumenta haud ita futilia primo obtutu videantur sed sagaciter inter se conexa, ut etiam homines doctissimi decepti sint, operae pretium videtur accuratius rem perscrutari.

1. Apud Pollucem X, 84 et Strabonem IX. 9, 10 quinque partes nomi auletici a Sacada exculti memorantur. Jam cum Plutarchus de mus. VIII doceat Sacadam tribus tantum modis usum esse, nomus autem, quem Plutarchus de mus. XXXIII[3]) memoriae prodidit ex modis quidem quinque sed proprie ex tribus tantum partibus constiterit, Westphalus colligit et quinque illos modos ex tribus Sacadae profectos esse, — modos Hypodorium, Phrygium, Dorium antiquiores esse, recentiores Hypophrygium et Mixolydium — et Sacadae nomum Pythium proprie ex tribus partibus primariis constitisse, Sacadae quidem nomum nihil nisi musicum fuisse sed sine dubio temporibus prioribus cum verbis coniunctum perinde atque nomum citharoedicum Terpandri, et quod hic duabus partibus amplior fuerit, prooemio et epilogo, has sollemnem precationem cantoris continuisse, quam fieri non potuisse quin Sacadas in nomo suo mere musico omitteret. Quae cum ita sint, ut quinque partium Pythii nomi ita septem partium nomi Terpandrei tres partes fuisse primarias, quattuor secundarias.[4])

Sed primum quidem nescio an Plutarchi testimonium Westphalus non recte explicuerit. Multo melius dicit Boeckhius:[5]) „Hic si Plutarchus voluisset dicere, an recte poëta medio cantico adhibuisset sive Hypophrygium sive Phrygium atque fini sive Mixolydium sive Dorium, dixisset certe *ἢ τὸν Ὑποφρύγιον ἢ Φρύγιον* et deinde *ἢ τὸν Μιξολύδιον ἢ Δώριον*. Sin ea esset sententia, an recte poeta in medio cantico usus esset primum Hypophrygio deinde Phrygio post Hypophrygium et in exitu primum Mixolydio deinde Dorio, dixisset scriptor *ἢ τὸν Μιξολύδιόν τε καὶ Δώριον* atque *ἢ τὸν Ὑποφρύγιόν τε καὶ τὸν Φρύγιον*, quia uterque est distinctus. Ita ubi legitur *ὁ ἰατρός τε καὶ ὁ παιδοτρίβης*, diversi hi sunt homines, at ubi est *ὁ ἰατρός τε καὶ παιδοτρίβης*, est unus idemque. Sic igitur *ὁ Ὑποφρύγιός τε καὶ Φρύγιος* atque *ὁ Μιξολύδιός τε καὶ Λύδιος* significare videtur simul cantatos et mistos fuisse Hypophrygium et Phrygium, Mixolydium et Dorium, distantes diatessaron intervallo.“ Quam explicationem cum infirmare non posset, Westphalus tacite aspernatus est.

Sed utut interpretaris hunc locum, certe de partibus secundariis inde nihil colligi potest ne minimum quidem de loco, quem obtinuerint. Deinde cum Sacada in alio nomorum genere versatus sit atque Terpander et huius nomi septem partes, illius quinque tantum fuerint, fieri non potest, ut a Sacada eiusque nomo Pythio de Terpandro eiusque nomo tanquam eadem ratione composito cum certa fide coniectura fiat.[6])

Itaque de Terpandri nomo ad unum Pollucis testimonium recurrendum est. Hic enim refert (IV 66): *μέρη δὲ τοῦ κιθαρῳδικοῦ νόμου Τερπάνδρου κατανείμαντος· ἐπαρχά, μεταρχά, κατα-*

[1]) Der Chor im Agamemnon p. 40. 49.

[2]) Die Kunstformen d. griech. Poesie und ihre Bedeutung. IV. p. 637.

[3]) *ὥστ' οὐδὲ ζητεῖν παρὰ ταύτης τὸ διαγνῶναι δύνασθαι πότερον οἰκείως εἴληφεν ὁ ποιητὴς ὡς οἷον εἰπεῖν εὐμούσως τὸν Ὑποδώριον τόνον ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἢ τὸν Μιξολύδιόν τε καὶ Δώριον ἐπὶ τὴν ἔκβασιν ἢ τὸν Ὑποφρύγιόν τε καὶ Φρύγιον ἐπὶ τὴν μέσην.* Westphalus nomum hunc in modum discripsit:

ἀρχή	*μέσον*		*ἔκβασις*	
Hypodor.	Hypophryg.	Phryg.	Mixol.	Dor.

[4]) cf. Westphal. l. l. p. 72 sqq.

[5]) De metris Pind. p. 255.

[6]) cf. H. Schmidt, l. l. p. 649.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τροπά, μετακατατροπά, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος.[1]) Hoc quoque loco Westphalo partes secundariae a primariis facile videntur secerni posse. Metarcham recentiorem esse quam omphalum et sphragidem, Terpandrum ipsum termino ἀρχά usum esse, vocabulum μετακατατροπά idem significare, quod vocabulum μετατροπή, praepositionem μετά in illo vocabulo vetustiore aliam vim habere atque in metarcha i. e. μετὰ τὰν ἀρχάν. Jam cum metacatatropa non sit ea pars, quae catatropam subsequatur, a Polluce eiusque auctore non recte metacatatropam positam esse, scilicet deceptis pari metarchae loco, ponendam esse potius post omphalum.

En circulus apertus: Unum solumque nomi Terpandrei testimonium dilaceratur, ut illius partes eo ordine, quem vult Westphalus, se excepisse videantur.[2]) At ne argumenta quidem, quae protulit, ferri possunt. Licet appareat compositum μεταρχά recentioris aetatis esse quam omphalum et sphragidem et antiquitus nomi exordium simpliciter ἀρχάν appellatum esse: qui fieri potest, ut v. μετακατατροπά, quod cum duabus praepositionibus compositum est, maioris aetatis sit quam metarcha?[3]) Itaque in metacatatropa quoque praepositionis nulla alia est vis quam in metarcha. Omnino mirum esset, si in eodem brevi testimonio simillimorum compositorum vis diversa esset. Duabus igitur de causis nomi partium ordinem, quem Pollux tradidit, turbare non licet.

Accedit quod Westphalus, ut veterum de prooemio Terpandreo testimonia cum Pollucis loco consociaret, hunc ordinem proposuit (p. 80): προοίμιον, ἀρχή, κατατροπά, ὀμφαλός, μετακατατροπά σφραγίς, ἐξόδιον. Sed cum non liceat ita commutare Pollucis testimonium, quo ἀρχά (ἐπαρχά) et μεταρχά primae nomi Terpandrei partes denominentur, prooemia illa, de quibus Plutarchus mentionem facit, alio modo explicanda sunt. Ac nonnulli quidem id proprium poëseos Terpandreae genus fuisse censuerunt ob Plutarchi de mus. IV verba: πεποίηται δὲ τῷ Τερπάνδρῳ καὶ προοίμια κιθαρῳδικὰ ἐν ἔπεσιν. Sed haec verba ab errore aut Plutarchi ipsius, quod Bergkius[4]) suspicatur, aut auctoris eius profecta esse intellegitur ex Plutarchi de mus. VI verbis: νόμοι γὰρ προσηγορεύθησαν ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι < ὡς ἐβούλοντο, Volkmann. > καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως, τὰ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀφοσιωσάμενοι[5]) ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπί τε τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν. δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. Unde rectissime colligit Bergkius l. l. p. 213. prooemia illa nihil fuisse nisi ipsos nomos, qui aeque ac rhapsodorum prooemia ante recitationem carminum Homericorum cantati sint.[6])

Ex omnibus vero testimoniis apparet Terpandrum imprimis musicum fuisse eiusque instituta ad musicam potissimum pertinuisse.[7]) Ita nomi illius quoque partibus musicam rationem subfuisse non est quod negetur.

---

[1]) In aliis codicibus legitur ἐπαρχα vel ἐπαρχεῖα vel μεταρχεῖα. Inde Bergkius Poet. lyr. gr. p. 518 et Griech. Lit. Gesch. II. p. 211 bene coniecit: ἑπτά · ἀρχά, μεταρχά, κατατροπά, μετακατατροπά, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος.

[2]) Tamen H. Schmidt. Die Kunstformen d. gr. Poesie. II. p. 469 hanc Westphali rationem comprobat. Leutsch. Philol. XXVIII p. 549 et Bergk. Gr. Lit. Gesch. II. p. 211 Pollucis ordinem tuentur.

[3]) Westphal. l. l. p. 79. „Die Präposition μετά in μεταρχά hat also eine andere Bedeutung als in dem aus alter Zeit stammenden Worte μετακατατροπά."

[4]) Griech. Lit. Gesch. II. p. 213.

[5]) Bergkius l. l. vertit: „nachdem der Nomos vorgetragen war."

[6]) Eadem Bernhardyi quoque sententia videtur esse Gr. Lit II, 1, p. 627. Contra Volkmannus (Ztschr. f. G. W. XXXIX, p. 156) dicit Bergkii sententiae refragari verba Plutarchi de mus. 3, unde appareat Terpandrum suos et Homeri versus heroicos lyrice transformatos cecinisse Sed haec pro nostri loci perspicuitate nullius momenti sunt, quorum auctor sit Heraclides Ponticus homo parum acutus. Cum enim vix intellegatur, qui fieri potuerit, ut Homeri versus heroici lyrice transformarentur, Heraclidam doctrinam male perspectam memoriae prodidisse verisimillimum est. Cf. Reimann l. l. p. 15 sqq.

[7]) cf. Plut. de mus. 3. 6. 9. 12. 42. Boeckh. l. l. p. 244. Bernhardy. l. l. I. p. 356. II, 1, p. 596. 603. O. Müller Gesch. d. gr. Lit. I. p. 267.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Certe nomi Pythii quidem partes, quo nititur Westphalus argumento, mere musicas fuisse constat. Itaque rectissime dicit Boeckhius (l. l. p. 182): „Nomorum autem partes eae haud dubie et rhythmo et melodia mirum quantum inter se differebant, ac fallitur Forkelius, ubi eas ad poeseos argumentum et elocutionem magis quam ad musicam rationem spectare putat. Qui enim locus argumenti quidam potest *σφραγὶς* aut *καταιροπὰ* aut metacatatropa appellatus esse? Haec potius nomina sunt musicae convenientia ut *πεττεία, πλοκή, πεττεία ἀνάκαμπτος, περιφερής* et similia.“ Id quidem Forkelio[1]) concedi debet poeseos argumentum et elocutionem partibus musicis aliquo modo respondisse. Utique tenendum est nomos uno decurrisse tenore nulla stropharum repetitione.[2]) Aperte id docet Aristoteles Probl. XIX. 15 his verbis: *διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί;* Nomos vero priscos, quales composuit Terpander, usque ad Timotheum Milesium non a choro sed unius citharoedi voce cantatos esse tradidit Clemens Alex. Stromat. I, 78. *νόμους τε πρῶτος* <emendavit Volkmannus, vulgo *πρώτους*> *ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος.* Quod testimonium non infirmatur Procli (Script. Metrici Graeci ed. Westphal. I. p. 244) verbis: *τῶν ἀρχαίων χοροὺς ἱστάντων καὶ πρὸς αὐλὸν ἢ λύραν ᾠδόντων τὸν νόμον Χρυσόθεμις . . . . μόνος ᾖσε νόμον*, quia Proclus putabat nomum ex paeane ortum esse.

Itaque hanc ob ipsam rem non est probabile nomorum, qui a singulis cantabantur, compositionem monostrophicam transisse ad carmina strophica et poesin choricam.[3]) Id quidem demonstrasse mihi videor illam rationem, qua Westphalus Pollucis testimonium tractaverit, et ceteris testimoniis et artis criticae legibus adversari. Ne Luebbertus quidem, qui denuo illud Pollucis testimonium tractavit l. l. p. 18 sqq., ut Westphali de Pindari carminum compositione sententiam novis argumentis comprobaret, assecutus est, ut coniectura illa propius ad verum accedat. Opinanti Luebberto, „nomus citharoedicus cum auletico Pythio aetate prior sit, suspicari licere in argumento disponendo vetustiorem iuniori viam praeisse partesque, in quas nomus citharoedicus dividatur, aeque ac Pythii partes respondere gradibus et actibus, per quos proelium cum dracone processerit,“ haec potissimum oppono: nomus Pythius singulare erat genus nomorum, quod a proelio illo cum dracone commisso nomen accepit, sed de nomi citharoedici argumento nihil est traditum. Ne ex Suidae quidem testimonio s. v. *ἀμφιανακτίζειν*] *ᾄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον ὄρθιον, ὃ αὐτῷ προοίμιον ταύτην τὴν ἀρχὴν εἶχεν· „ἀμφί μοι αὖτε ἄναχθ' ἑκαταβόλον ᾠδέτω ἁ φρήν“* colligi potest solum proelium cum dracone commissum in nomo orthio cantatum esse. Nam *ἑκατηβόλον* Apollinem appellatum esse propter solum illud proelium nemo affirmaverit.

Ipse Luebbertus concedit: „nomi Pythici auletici partes ab ipsius rei gestae gradibus et ab argumento proelii adversus draconem nominatas esse, cum nomi citharoedici partes ab artis forma nuncupatae sint *ἀρχά, καταιροπά, ὀμφαλός, μετακαταιροπά, σφραγίς.*“ Verum summa utitur licentia, cum arbitratur ex Pindari et duobus Callimachi carminibus, hymno qui vocatur in Cererem et Lavacro Palladis, meliorem nomi Terpandrei partium ordinem evadere, „Palladis lavacrum cum Polluce egregie conspirare, in quo metacatatropa ante omphalum collocata sit, hymnum in Cererem cum altera nomorum forma conspirare, in qua metacatatropa omphalum sequatur, Pollucis igitur definitionem duas diversas nomorum formas coniunxisse; Pollucem apud auctorem suum duplicem nomi

---

[1]) Histor. mus. I. p. 212.

[2]) cf. Bernhardy. l. l. II. p. 627. Fritzsche ad Aristoph. Ran. 1308. Volkmann ad Plut. d. mus. 3. Guhrauer. Jbch. f. Phil. Suppl. VIII. p. 326. Walther. De graecae poes. mel. generibus. p. 44.

[3]) Reimannus l. l. putat priscos nomos et a choro cantatos esse et strophicos fuisse. Sed primum quidem nititur dubio illo Procli loco, deinde non recte censet ex Aristotelis verbis *αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί* necessario effici, ut nomi inter cantus choricos numerandi sint. Qua de causa verba *αἱ χορικαί* glossema iudicat. Ex Plutarchi denique loco de mus. VI. nihil de strophica nomorum compositione videtur colligi posse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

formam invenisse; primam talem: eparcha, archa, catatropa, omphalus, metacatatropa; alteram hanc: archa, metarcha, catatropa, metacatatropa, omphalus; has duas nomi formas Pollucem non satis accurate distinxisse, sed alteram cum altera perperam conflavisse."

At ita non solum pro certo sumitur, quod ex Pollucis testimonio colligendum erat, carmina illa ad priscam nomi Terpandrei normam composita esse, — quod memet eruditiores examinent, — sed etiam ex altero illorum carminum, quod ab ordine nomi partium a Polluce tradito videtur dissentire, de uno soloque nomi Terpandrei testimonio fit coniectura. Nonne haec ratiocinatio Westphalo antecellit audacia? Nihilo magis ferri potest, quod Luebbertus affirmat „Pindarum, cum in carminibus non chorum sed unum se canere fingat, nomos ea esse probare." Sed id nihil ad nos attinet.

2. Praeter Pollucem Westphalus ad confirmandam suam opinionem duo alia testimonia attulit (l. l. p. 71. 72.), Aristophanis comici et scholiastae Aristophanis.

In Aristophanis Ranis Euripides inde a versu 1285 versus dactylicos ex diversis Aeschyli tragoediis recitat, sed hic illic ita commutatos, ut extremus quisque pes versuum productus sit.[1]) Jam cum dicat v. 1281 *πρίν γ' ἀκούσῃς χἀτέραν σιάσιν μελῶν ἐκ τῶν κιθαρῳδικῶν νόμων εἰργασμένην* et scholiastes ad h. l. adnotet: *Τιμαχίδας γράφει, ὡς τῷ ὀρθίῳ νόμῳ κεχρημένου τοῦ Αἰσχύλου καὶ ἀνατεταμένως,*[2]) in illis versuum clausulis orthii pedis locum fuisse verisimillimum est.[3]) Sed sive in clausulis tantum modo sive in aliis pedibus et in totis systematis orthium esse putas, certe non pertinet nisi ad rem rhythmicam et musicam.

Neque vero de Aeschylo ut Terpandri sectatore quidquam memoratur nec de illo nomo, quem Pollux tradidit. Ita ne ex Aristophanis quidem et scholiastae testimoniis Westphali opinioni quidquam fidei accedit.

3. Ex eis, quae disputata sunt, facile colligitur cantica Aeschylea secundum illud schema Terpandri dividere non licere. Westphalus ipse figuram illam ad omnia cantica, quae non amoebaea essent, applicare non potuit. Perinde comparatam esse Westphali partitionem carminum Pindaricorum demonstrat H. Schmidtius: Non semper omnes partes Terpandreas ad carmina Pindari applicare potuisse Westphalum, partium argumentum non semper id esse, quod Westphalus statuerit; quod remaneant tres partes primariae, hoc non disciplinae poetarum nomicorum deberi sed vulgaris partitionis proprias esse tres partes: exordium, thema, clausulam; schema rhetoricum, quod stropharum contextum discindat, inane et absurdum esse iudicandum. Idem fere contra Aeschyleorum canticorum partitionem a Westphalo institutam dicendum est. Sed etsi argumentationis fundamento satis infirmo usus est Westphalus, tamen viam munivit, qua sententiarum ordo, quem in componendis canticis Aeschylus secutus est, melius intellegeretur, aliorumque operam et studia in disceptandas has quaestiones convertit. Sane illorum compositio non ab alieno artificio repeti sed ex solis ipsius canticis cognosci potest.

---

[1]) cf. Fritzschius ad h. l.

[2]) Fritzschius scholion mutilum putat ac supplet *συνεχῶς καὶ ἀνατεταμένως* vel simile quid. Christius Metrik p. 238 *ἀνατεταμένως* intellegit *φθόγγους ἀνατεταμένους*, quod probabilius videtur.

[3]) De orthio cf. Christ. Metrik p. 93. 238. 316.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. De sententiarum compositione, quae ex ipsis Aeschyli canticis appareat.[1])

1 De Persarum fabulae canticis

In cantico primo (v. 1—139) adhuc dubitatur de mesodo. Auctore O. Muellero Heimsoethius, Westphalus, Teuffelius, Weilius, Kirchhoffius, Muffius mesodum post proximum stropharum par transposuerunt, ut epodus carminis ionici efficeretur, causis metricis, dialecticis, grammaticis. Ac sententiarum nexum hac transmutatione faciliorem evadere negari nequit. Fieri enim non potest, ut nexus stropharum *αα'ββ'δδ'*, in quibus fiducia exercitus Persici exponitur, interrumpatur mesodo, in qua sicut in extremis strophis extimescit chorus, ne calamitate affligatur exercitus: bipartita igitur est totius cantici compositio. Accedit quod pronomen *ταῦτα* (v. 114) ad mesodum non potest non pertinere. Neque tamen eis criticis obsequi licet, qui stropham *γ* post strophas *δδ'*, poni epodumque esse volunt. Nam propter argumentum necessario cum strophis sequentibus, quippe ad quas transitum faciat, coniungenda est atque ita differt ab epodo, quae est in parodo Agamemnonis fabulae.[2])

Rectissime igitur Seidlerus de vers. dochm. p. 407 et Weilius non epodum sed stropham et antistropham statuerunt.[3])

Engeri[4]) sententia de compositione huius carminis non probabilis est, quia mesodum tuetur et ultima stropharum paria transmutat. Hunc enim esse sententiarum nexum dicit:

„Begründung der Siegeszuversicht in den Strophenpaaren *αβ*. Im Gegensatz dazu Begründung von Besorgnissen, ebenfalls in zwei Strophenpaaren *γδ*. Dazwischen als Übergang zu dem Gegensatze der allgemeine Gedanke von der *ἀπάτη θεοῦ* in einer *μεσῳδός*, endlich als Schluss in dem Strophenpaar *ε* der Ausdruck der Befürchtung vor einer erlittenen Niederlage."

Sic igitur aptius dividitur canticum:

---

[1]) Contextum editionis Dindorfianae secutus sum. Ubi ab eo discessi et ad intellegendum sententiarum nexum opus visum est, adnotavi. Strophae literis *α β γ δ* etc., antistrophae literis *α' β' γ' δ'* significatae sunt.

[2]) cf. Weil. ad h. l.

[3]) Eadem est Stahlii sententia. Qui cum eum de hac re consulerem, quomodo ipse poëtae manum restituendam esse putaret, liberaliter communicavit. Pro *πηδήματος . . . ἀνάσσων* enim, quod neque commodum sensum praebet neque cum reliquis apte conectitur, *δηλήματος . . . ἀπάσσων* (perniciem effugiens) rescribit, quo facto adhibitis Seidleri, Prienii, Weilii emendationibus haec evadit verborum responsio:

str. *γ*. *δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ*
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ δηλή —
ματος εὐπετὴς ἀπάσσων;

ant. *γ'*. *φιλόφρων γὰρ παρασαίνει*
βροτὸν εἰς ἄρκυας ἄτα
τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνα —
τὸν ἀλυσκάζοντα φεύγειν.

[4]) Progr. Posen. 1870. p. 12.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In exordio anapaestico[1]) dicitur:

1) v. 1—7 chorum principum partes agere, 2) v. 8—11 timorem esse, ut exercitus rediturus sit, 3) v. 12—58 totam enim Asiae iuventutem ad bellum profectam esse, cuius duces enumerantur, 4) v. 59—64 totam Asiam, parentes uxoresque desiderio virorum gemere et pavere.

Quae sequitur parodus melica hunc sententiarum ordinem habet:

I. Spes est Persas victuros esse. *αα'—γγ'*.

1) Hellespontum traiecit exercitus, quem ex tota Asia collectum Xerxes ducit. *αα'*.

2) Qui cum fortissimo hoc duce bellum intulit, nemo resistere potest. *ββ'*.

3) Terra enim marique bella gerere antiquitus consueverunt. *γγ'*.

II. Timore afficitur chorus. *δδ'—ϛϛ'*.

1) Numen dolosum in laqueos homines pellicit. *δδ'*.

2) Timor chori populique narratur. *εε' ϛϛ'*.

αα' ββ' γγ' δδ' εε' ϛϛ'

In cantico altero (v. 548—597) hic simplex sententiarum ordo est:

I. Rex sese et exercitum calamitate affecit. *αα'*.

II. Itaque omnes queruntur. *ββ'*.

III. Maximis inde damnis civitas afficitur. *γγ'*.

In cantico tertio[2]) (v. 623—680) praemissa Darii compellatione terram reliquosque inferos et nominatim Plutonem exhortatur chorus, ut illum in lucem emittant, laudes eius addens.

Exhortatio inferorum medium locum tenet, quam utrimque circumdant regis compellatio et laudes hoc modo:

I. *αα'ββ'*. II. *γγ'*. III. *ἐπῳδ.*

αα'ββ' γγ' δ.

Canticum quartum (v. 852—906) simplicissimum est. Forma quidem epodus a ceteris strophis secreta est, argumento autem cum eis arte cohaeret. In medio cantico enumerantur urbes, terrae, insulae a Dario subiectae atque additur Darium nunquam *ἀφ' ἑστίας* profectum esse, quae sententia in epodo repetitur verbis *σφετέραις φρεσίν*.

I. Darius bene regnavit rebus domi bellique feliciter gestis. *αα'*.

---

[1]) Parodus ex anapaestica et melica parte constare potest, anapaestica vero systemata, quae vel antecedunt vel sequuntur stasima, non ad stasima sed ad episodia pertinent secundum definitionem, quae est in Aristotelis poet. c. 12 *χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλον* (lege *ὅλη*) *χοροῦ, στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου κτλ.* (cf. Arnoldt l. l p. 30. Wecklein. Philol. XXXI. p. 462. et Bursian. Jbcht. 1873. p. 127, L. Schmidt d. par. p 10. Ascherson de par. et epipar. p. 6. 12. et Jbch. f Phil. III. p. 662. Suppl. IV. p. 430. O. Müller. Kl. Schr. I p. 509)

Quamquam verba *ὅλον χοροῦ* ferri non possunt, primum quod parodi anapaesticae non a toto choro cantabantur, deinde propter definitionum, quae antecedunt, similitudinem, in quibus vocabulo *μέρος* semper *ὅλον* attributum est, denique propter ipsius parodi definitionis perspicuitatem requiritur attributum *ὅλη* ad vocem *λέξις*. (cf. Westphal. Prol. p. 58 sqq.) Quocirca Westphalus legit *ὅλη τοῦ χοροῦ*. Sed articulo non opus est, immo obsunt verba, quae antecedunt, in quibus *χορός* semper articulo careat.

[2]) Epodus perquam corrupta est, mihi quidem Weilius aptissime versus videtur emendavisse. Strophas et antistrophas ab hemichoriis, epodum a toto choro cantatas esse probabile est. Rossbach. Ind. lect. Vratisl. 1861. intra strophas hemichoria invicem cantavisse censet hunc in modum: *αα' ββ' AB. γγ' ABAB. ἐπῳδόνημα XOP.* Hanc rationem ferri non posse infra demonstrabitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. Quamquam Halym non transgressus est, multas urbes terrasque sibi subiecit, quae enumerantur. ββ' γγ'.

III. Cum etiam Graecae Joniae urbes ei parùerint et invictus ei fuerit exercitus, nunc magna clade maritima affecti sumus. ἐπῳδ.

αα' ββ' γγ' δ

2 De Promethei fabulae canticis.

Canticum primum (v. 128 sqq.) amoebaeum est inter chorum et Prometheum.

I. In exordio chorus causam ac modum adventus sui significat. α.

II. Promethei sors chori et omnium deorum praeter Jovem misericordiam excitat. α'β.

III. Sed Promethei contumax animus non magis flectitur quam Jovis implacabilis mens, quare vehementer pavet chorus. β'.

α α'β β'

Canticum alterum[1]) (v. 397—435) sententiarum gravitate compositionisque arte plane caret sicut canticum quartum in Persis. Agitur de misera sorte Promethei. Hae fere partes discerni possunt:

I. Queritur chorus Promethei sortem, qua Jupiter vim suam ostendat. α.

II. Omnes item vicinae gentes Prometheum queri dicuntur. α'ββ'.

III. Nemo nisi Atlas ea calamitate qua Prometheus premitur aut similiter lugetur. γγ'.

α α'ββ' γγ'

In cantico tertio (v. 526—560) demonstrat chorus, quid doceat Promethei sors.

I. Superos offendere nolim. α.

II. Cum iucundum sit cum bona spe et laete vitam degere, horreo tuos dolores intuens, qui Jovem non timens nimium mortales coluisti. α'.

III. Attamen tibi nunc nihil est auxilii a debili hominum genere, qui contra Jovis imperium nihil valent. β.

IV. Haec (superos non mihi esse offendendos) cognovi praestantem tuam calamitatem cum priore felicitate comparans. β'.

Postrema pars respicit ad primam ita, ut interposita sint, quae de praesenti Promethei calamitate dicuntur.

αα'ββ'.

Canticum quartum (v. 887—906) sic dividere velim:

I. Ex suo quemque ordine nuptias conciliare oportet. α.

II. Nunquam Jovis amoris particeps fiam, nam Jonis exemplum me terret. α'.

III. Mihi vero aequales placent nuptiae neque unquam potentiorum deorum amori, cui resistere non licet, succumbere velim. ἐπῳδ.

3. De Supplicum fabulae canticis.

Cantico primo (v. 1—175) Haeckerus[2]) coniciens (v. 53) τελέων ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια hanc sententiam exprimi putat: „Nachdem ich mein früheres Leid erwähnt habe, will ich sichere An-

[1]) Antistropham γ' optime emendavit Hermannus. Omnes interpretes praeter Ribbeckium consentiunt antistropham γ' ad Atlantem, non ad Prometheum pertinere.

[2]) Ztschr. f. Gymnasialw. 1861. p. 220.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

zeichen des Endes vorbringen." At haec sententia in altera demum parte cantici tractatur, in priore nihil eiusmodi reperitur.

M. Schmidtius[1]) ita canticum discripsit:

Klage. Äußerungen des Schmerzes.
Bitte um Abwehr der ὕβρις.
Zeus als Erfüller der Wünsche der Seinen.
Zeus als Vernichter der Pläne der Bösen.
Bitte um Vernichtung der ὕβρις der Aegyptiaden.
Erneute Klage und Äußerungen des Schmerzes.

Qua in discriptione strophas αα' omisit fortasse eas pro prooemio habens. Pars tertia hac nititur coniectura (v. 85) εἴθ' εἴην Διὸς εἰ παναληθῶς Διὸς ἔμμορος, οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη· i. e. utinam Jovis vere particeps sim, non facile enim explorari potest, tamen etiam in calamitatis tenebris effulget homo miser, scilicet Jovis auxilio. Quae quamvis scite inventa sint, tamen cum eis, quae sequuntur: πάντᾳ τοι φλεγέθει κἀν σκότῳ μελαίνᾳ ξὺν τύχᾳ μερόπεσσι λαοῖς[2]) conecti vix possunt. Nam primum quidem ita novum subiectum statuitur a Schmidtio — εἴην, ἐτύχθη (scil. Jupiter), φλεγέθει (scil. homo miser) — quod subiectum cum accuratius non definiatur, vix intellegitur; immo fieri non potest, quin verbum φλεγέθει ad praecedens subiectum, i. e. Jovem, referatur.

Deinde explicatio ipsa aptum sensum non efficit; nam homo pius, ubi calamitate afficitur, numine fretus non sibi ipsi quidem sed tamen multitudini infelix videbitur, quae speciem tantummodo rerum respiciat.

Deinde Westphalus (l. l. p. 154) commutatis inter se versibus 87—89 et 92—94 et strophis ϛϛ' hunc in modum partes disposuit:

προοίμιον αα'. ἀρχὰ ββ'γ. κατατροπὰ γ'. ὀμφαλὸς δδ'ε. μετακατατροπὰ ε'ϛ. v. 122—127. σφραγὶς ϛ' v. 117—121. 111—116. 128—132. ἐπίλογος ζζ' ηη'.

Contra hanc divisionem[3]) monendum est non strophas αα' sed anapaestos prooemii loco esse. Nam strophae αα' faciliüs cum strophis sequentibus copulantur; praecipue obsunt versus 54—56, quibus non sequens carmen sed versus 291 sqq. respiciuntur.

Deinde non est, cur strophae ϛ et ϛ' inter se commutentur, itaque tota illa metacatatropa facile concidit. Denique epilogus iste prorsus aliam naturam et ambitum habet atque alioqui Westphalus statuit.

Attamen Westphali interpretationem verborum εὖ θείη (emendavit Bambergerus) Διὸς εἰ παναληθῶς Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη omnibus aliis esse praeferendam censeo. Vertit enim: „Glück bringe des Zeus, Glück in Wahrheit des Zeus Liebe" explicandique causa addit: „Das ist seine Liebe zur Stammutter Jo . . . Zu εὐθήρατος ist nicht ἵμερος sondern Ζεύς das Subject." Atque suo quidem iure Westphalus versuum 87—89 πάντᾳ τοι φλεγέθει . . . μερόπεσσι λαοῖς et 92—94 δαυλοὶ . . . ἄφραστοι sedes mutavit: nam illud γάρ (v. 92) eo, ubi traditum est, loco ferri nequit et sensus versuum 92—94 efflagitat, ut eum versibus 85 et 86 coniungantur. Haec igitur partitio ad poetae verba apta videtur:

I. Ad deos patrios choras supplex se convertit. αα' ββ' γγ'. δδ' εε'.

1) a. Jonem et Epaphum generis auctores primum invocat (αα');

[1]) N. Schweiz. Mus. III. p. 231. Monendum est Schmidtium priorem de interpretandis versibus 85 sqq. sententiam (Jbch. f. Phil. 1859. p. 104) mutasse, quae sane parum probabilis erat.

[2]) Schmidtius haec verba sic vertit: „Strahlen des Glücks erhellen vor aller Sterblichen Augen selbst die Nacht seines Unglücks."

[3]) In universum eundem ordinem probat Oberdickius in editione Supplicum, qui tamen ἵμερος vertit „Verlangen, Wille" et antistropham ε' metacatatropae, strophas ϛϛ' sphragidi attribuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

b. Cum precibus gemit et queritur ut Procne expulsa (ββ' γ):

c. nam etiam bello victis aram tutum refugium esse (γ').

2) Sequitur invocatio Jovis summi generis auctoris. δδ' εε'.

a. Precatur chorus, ut Jovis amor sibi faustus sit; decreta quidem eius non facile indagari posse sed certe perfici, et in calamitate auxilium eius hominibus effulgere.

δδ' [δ = 85—86. 92—94. / δ' = 90—91. 87—89.]

b. Superborum vero audaciam Jovem contundere;

c. ita Aegypti filiorum quoque Danaides insectantium superbiam puniat. εε'.

II. Lamentatio cum precibus threni modo composita. ϛϛ' ζζ' ηη'.

1) Mala sua queritur chorus.

a. Hanc invisae insectationis miseriam querimur imploramusque Apiae tutelam vestem scindentes. ϛ.

b. Cum miseriis sublatis debita diis sacrificia contingere soleant, qui sit mei laboris finis (et quando ego talia sacra facturus sim) plane in obscuro est imploramusque Apiae tutelam vestem scindentes. ϛ'.

2) Jovis et Dianae imploratio. ζζ'.

a. Itinere feliciter peracto Jupiter porro ab inviso matrimonio nos defendat. ζ.

b. Diana virgo nos virgines ab inviso matrimonio defendat. ζ'.

3) Huius precationis confirmatio. ηη'.

a. Nisi dii superi preces nostras exaudiverint, inferos supplices adibimus, ut a Junonis ira nos defendant. η.

b. Hoc si fit, iniuriae accusabitur Jupiter, quod genus suum non tuitus sit. Itaque propitius nos audiat et a Junonis ira nos defendat. η'.

Animadvertendum est priorem cantici partem ex duabus partibus tripartitis, posteriorem ex tribus bipartitis constare. Ita hic stropharum ordo evadit: αα' ββ'γ γ' δδ' εε' ϛϛ' ζζ' ηη'.[1])

Canticum alterum[2]) (v. 529—599) Westphalus sic disposuit:

„ἀρχά. α. Hymnodische Verherrlichung des Zeus, den der Chor um Hülfe anfleht. κατατροπά. α'. Der Chor darf den Zeus um Hülfe anrufen, weil er ein Spross der Jo. — ὀμφαλός. ββ' γγ' δδ'. Mythus der Jo. μετακατατροπά. ε. Als Sproß der Jo darf der Chor den Zeus um Hülfe anrufen. σφραγίς. ε'. Hymnodische Verherrlichung des Zeus."

Sed in α' ea, quam vult Westphalus, sententia non inest, sed chorus Jovis auxilium implorare pergit neque quidquam discriminis est inter secundae et quartae partis sententiam. In aperto est simplicissimam esse hanc huius carminis divisionem.

I. Jupiter nobis auxilio veni recordatus nos tui generis esse. αα'.

---

[1]) Has coniecturas recipiendas esse censeo: v. 57. ὧν οἰοπόλων M. Schmidt. 63. ἀπὸ χώρων προτέρων Martin. 64. ὄιτον Hermann. 74. δειμαίνουσα recte tuetur Weil. 79. ἢ καὶ Hermann. 85. εὖ θείῃ Bamberger. 99. πᾶν ἄπονον Wellauer. δαιμόνιον Paley. 100. θᾶσσον Weil. 124. Non probo Weilii coniecturam ὁπόθι θάνατος ἐπῇ pro ἀπῇ, quod καλῶς πελομένων nihil aliud valere potest nisi „ubi res prospere evenit," non quod ille vult „si res prospere eventura sit." Ita enim repugnantia exsistit. Cur autem de mortis speciatim periculo hic sermo sit, non assequor. Videndum igitur, ne scriptum fuerit ὁπόθι κάματος ἀπῇ. Ita negativa quaedam verborum πελομένων καλῶς explicatio efficitur. v. 135. τ' εὖ δόμος Weil. Satis est verisimile in altera parte cantici strophas et antistrophas ab hemichoriis, ephymnia a toto choro cantata esse.

[2]) Has recipio coniecturas v. 536 δῖον Butler 537. τᾶσδ' ἀπὸ γᾶς μέτοικοι Tournier.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. Eo enim confugimus, unde exturbata Io multas terras peragravit, donec in Aegyptum venit et Jovis opera Epaphum peperit, filium eius ab omnibus statim agnitum. ββ' γγ' δδ'.

III. Neminem igitur deorum maiore iure invocemus quam ipsum Jovem, generis nostri auctorem et deum omnium potentissimum. εε'.

Prima et tertia pars inter se referentes mediam circumcludunt hoc modo:

αα' ββ' γγ' δδ' εε'.

Canticum tertium (v. 630—709) a Westphalo sic dispositum est: „Prooemium:

v. 630. Bitte um Abwehr des Ares.
639. Grund der Bitte.
656. Bitte um Abwehr des Ares (Krieg, Seuche).

Haupttheil.

667. Bitte um Frömmigkeit (Verehrung des Zeus).
674. Bitte um Fruchtbarkeit (Nachkommenschaft).
678. Bitte um Abwehr des Ares (Krieg und Seuche).
688. Bitte um Fruchtbarkeit (der Saaten und Heerden).
694. Bitte um Frömmigkeit (Gesänge an den Altären).

Sane haec artificiosissima partium complexio esset, ubi ipse omphalus separatim ex norma Terpandri compositus esset. Sed tota illa partitio eo laborat, quod omphali sententia primaria iam prooemio isto continetur, id quod Oberdickius[1]) partim vitavit eo, quod stropham β (v. 656) parti primariae attribuit. Sic enim dividit hoc carmen: „Einleitung: αα'. Hauptteil: ββ' γ (καρποτελῆδ') γ' (μηδέ τις). Schluss: δδ'."

Cum vero sollemnis precatio iam inde a stropha α incipiat et nonnullae sententiae eis continentur, quae ipsae in ceteris strophis insint, strophae αα' proprie pro prooemio haberi nequeunt.

Tres partes primariae facile discernuntur:

I. Dei Argivorum terram defendant, ne hostilibus incursionibus vastetur, quod a nostris supplicum mulierum partibus steterunt laesi hospitii vindictam timentes verentesque Jovem hospitalem, auctorem generis nostri. αα'.

II. Eadem de causa ut omni reliqua vitae felicitate fruantur, ββ' γγ'.

III. et iustitiae leges observent optamus. δδ'.

Non audemus alterius partis sententias singillatim distinguere, quoniam gravissimis corruptelis nondum sublatis ita inquinata est, ut saepius verborum sensus plane in incerto sit. Neque enim, ut vulgo putatur, alio loco de pestilentia (v. 661 sqq.) alio longe separato de omni morborum genere sermo esse potest (684 sqq.) neque duobus diversis locis (661 sqq. — 683) de seditionibus intestinis aut de externis bellis (663—665. 679—681.) dici itemque duobus diversis locis agrorum fertilitatem commemorari (674 sqq., ubi δὲ φόρους legi solet, et 689 sqq.); praeterea nondum sanati videntur esse vv. 692. 707.

Quod belli calamitatem item in α Argivis abesse cupiunt, nihil moramur, nam ea calamitas urbis vastatione, non ut in medio carmine, virorum interitu continetur.

In cantico quarto[2]) (v. 776—824) hae discernuntur partes:

I. Chorum nuptiarum adeo taedet, ut quovis pacto, etiam morte, eas effugere cupiat. αα' ββ'

[1]) Ztschr. f. oestr. Gymn. 1868. p. 281.

[2]) Hi loci mihi videntur emendati esse: v. 782. ἀφάντως ἀμπετής Herm. ἄιστος C. Haupt. 784 ἄφυκτον φυκτὸν οὐκέτ' ἂν πέλοι, κελαινόχρων δὲ πάλλεται φίλον κέαρ. Schwerdt. Strophas γγ' optime restituit Hermann.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. Itaque deos invocat potissimumque Jovem patrem. Salutem enim solus Jupiter praebere potest. γγ'.

Versus 825—835[1]) utique non pertinent ad canticum, cum praeco adveniat et ita virgines violentissime perturbentur. Responsio, quam Hermannus investigare conatus est, in corruptissimo loco vix deprehenditur.

4. De Septem fabulae canticis

Canticum primum [2]) (v. 78—180) ita discribo:

I. Describitur terror chori hostibus appropinquantibus ad aras confugientis. ἄστροφα v. 78—108.

II. Sequitur imploratio deorum urbis, qui nominatim appellantur. αα'.

III. Violentiore pugnae strepitu augetur chori angor, quem concitata oratione cum singulorum deorum invocationibus exprimit. ββ'.

IV. Postremo omnes dii simul invocantur. γγ'.

Quod Berghius[3]) in duabus primis partibus, quas Bergkius[4]) statuit, vituperavit: iam in priore parte, quam rerum descriptionem Bergkius esse contenderet, invocari Martem (105—108), in altera, qua totam deorum implorationem contineri putaret Bergkius, rerum discriptionem non deesse: id nihil valet, cum in prima parte ipsius belli terrorem Mars repraesentet, in altera ut deus patrius appelletur et altera rerum descriptio ad hostes propius ad ipsam urbem aggressos referatur.

Ambigitur etiamnunc de compositione strophica huius parodi. Ac satis perspicua quidem est strophica compositio inde a v. 108. Consentio igitur cum Ritschelio, Prienio, Westphalo, Weilio, Heimsoethio, Buechelero, Conradtio mesodi, quam Hermannus et alii voluerunt, in hoc cantico locum non esse.

Praeterea Muffius[5]) versus 96—108 in binarum stropharum et antistropharum ordinem redigere conatus est, ingeniose quidem, ut ei assentiendum esset, nisi versus 96—98 ἰὼ . . ἀγάστονοι post versum 105 collocasset causis haud ita gravibus. Neque enim propterea, quod ille ἀκμάζει fortius arbitratur quam ἀμφὶ λίταν ἔξομεν, haec verba priore loco collocari necesse est, quippe quae ex Muffii sententia ab alio choreuta pronuntientur. Immo versuum continuatio, quae traditur, et tempori et naturae humanae aptissime convenit, quia chorus armorum strepitu quasi attonitus ad strepitum potissimum advertit animum et paullatim demum rite ad sollemnem precationem convertitur. Quapropter hoc loco res in dubio relinquenda est.

Ex hoc nostro stropharum ordine apparet non recte Hermannum versus 78—115 inter singulos choreutas distribuisse. Cum autem Muffius ad liquidum perduxisse videatur omnino de quindecim choreutis h. l. cogitari non licere, duodecim choreutae in prima cantici parte se videntur excepisse.[6]) Itaque ut in parodis ab anapaestis incipientibus a coryphaeo, ita ἄστροφα in hac a singulis choreutis recitata sunt.[7]) Ea vero, quae sequuntur, inter singulos choreutas non distribuenda

[1]) Verisimile est, quod Weckleinius (Technik u. Vortrag d. Chorgesänge d. Aesch. p. 219.) suspicatur, hos versus a singulis choreutis recitatos esse.

[2]) Ad singulos locos tractandos h. l. accedere a proposito alienum est, cum hoc separatam quaestionem sibi deposcat.

[3]) Ztschr. f. Gymnasialw. 1865. p. 516.

[4]) Philol. XVI. p. 104.

[5]) Progr. Stettin. 1882. p. 5.

[6]) De versibus, qui singulis choreutis tribuendi sint, ambigi potest. Mihi quidem Muffius apte eos videtur sic distribuisse: v. 78, 83, 86, 88, 91, 95, 96, 100, 101, 103, 104, 106.

[7]) Ita opinatur Westphal. Prol. p. 55. 184.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse ex vario sententiarum colore manifestum est, itaque prorsus Weckleinio (l. l.) assentior, cum dicit. „Der neueste Versuch von Muff 109—165 noch einmal an zwölf Choreuten zu verteilen, scheitert an der Verschiedenheit der Gliederung, die auf eine Verschiedenheit des Vortrags hinweist.“ Probabilissimum est, quod plerique critici, ut Ritschelius, Buechelerus, Bergkius, Berghius probant, versus 109—150 (*αα'*) a toto choro enuntiatos esse vel ab hemichoriis. Strophas *ββ'* ab hemichoriis cantatas esse ex interiectionibus ἐἐἐἐ colligi potest, quae cum ter in manuscriptis exstent, sine ulla quidem difficultate quater posuit Weckleinius, ut hemichoria et in stropha et antistropha ita se excipiant: *ABAB*. Attamen haud scio an praestet interiectionibus post *Ἄρτεμι* eiectis Lowinskio et Muffio auctoribus stropham et antistropham hemichoriis tribuere. Strophae *γγ'* utrum toti choro an hemichoriis tribuendae sint, ambigi potest; cum totum canticum concludant, prior ratio magis est consentanea.

In dividendo cantico altero (v. 287—368) Westphalus hanc iniit viam: Cum sententiarum ordo simplicissimus sit nec conveniat cum ea lege, qua sententiarum vim in mediis canticis Aeschylus posuerit, simili modo rhythmos in hoc cantico sibi respondere hunc in modum:

αα' *ββ'* *γγ'*

1. Jambi, 2. pherecratei, 3. dochmii, logaoedi, 1. dochmii, 2. pherecr., 3. troch.

Causam huius ordinis eam esse, quod canticum inter hemichoria distributum fuerit ita, ut hemichoria eis locis se excipiant, ubi metrum mutetur, et hemichorium *B* inde a stropha *β* id cantaverit, quod ab altero omissum sit, miseriam raptarum mulierum et virginum. (cf. Prol. p. 164 sqq.)

Atque iambos et trochaeos quidem eiusdem generis esse et ita de horum rhythmorum responsione cogitari posse non negamus. At dochmios illos in strophis *αα'* Westphalus[1]) ipse logaoedos iudicavit, ac vere quidem logaoedi sunt.[2]) Verisimile est etiam in strophis *γγ'*[3]) logaoedos esse, quamquam ibi certi quid contendi nequit, quod illae strophae nimis corruptae sunt.

Deinde hemichoriorum vicem nexu sententiarum indicari contendit Westphalus hac potissimum de causa, quod particula *γάρ* in verbis *πολλὰ γάρ, εἴτε πόλις δαμασθῇ κ. τ. λ.* (v. 348) in nexum non quadret. At id *γάρ* minime mirum est; *τί* enim per ellipsin dictum est, sicut scholiastes explicat *τί γὰρ δεῖ πολλὰ λέγειν.* Sequuntur deinde verba *προλέγω γάρ,* quibus cur pluribus non opus sit explicatur: sufficit enim breviter pronuntiare mortem sorti antea memoratae esse praeferendam. Quae sententia deinde explanatur, ut *γάρ* quod sequitur indicat. Quod autem versus *καπνῷ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν* coniunctione caret, hoc nihil valet ad hemichoria statuenda, cum asyndeti exempla innumerabilia fere in continuo sermone apud Aeschylum exstent.[4])

In stropha *β* hemichoria suspicatur Westphalus propter plenam interpunctionem. Sed quomodo ibi plene interpungatur, non video, cum omnia huius enuntiata e vocabulo *οἰκτρόν* pendeant. Cum igitur Westphalus in partiendis strophis *αα'* et *γγ'* utatur similitudine tripartitarum stropharum *ββ'*, quae non sint tripartitae, apparet eius opinionem de hemichoriis irritam esse. Quae cum ita sint, aut totum canticum toti choro tribuendum est aut, quod Muffius vult, strophae et antistrophae ab hemichoriis invicem cantatae sunt.

Sententiarum continuatio simplex est:

I. Chorus hostium impetum timens deorum auxilium implorat. *αα'*.

---

[1]) Griech. Metrik. p. 528.

[2]) cfr. Weil. ad h. l. v. 322. H. Schmidt. Eurhythmie. p. 320.

[3]) cf. Weil. ad. h. l.

[4]) Ex hoc ipso carmine affero v. 297. 301. 336. 352. 356. cf. Cho. 794. Alia exempla collegit Bromig. De asyndeti natura et apud Aeschylum usu. Monasterii 1879. p. 8. 36 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. Nisi enim auxilio venerint, urbs ab hostibus capietur et omnes expugnationis terrores, qui explicate describuntur, experietur. *ββ' γγ'*.

Canticum tertium (v. 720—791) Westphalus sic partitus est:

„*προοίμιον* 720—725. Die von Oedipus über seine Söhne heraufbeschworene Erinys wird sich erfüllen,

ἀρχά 726—39. weil 1) Der jetzige Kampf ein Bruderkampf, 2) die alte *παρβασία ἐς αἰῶνα τρίτον μένει.*

Ὀμφαλός 758—65 Furcht um die Stadt, weil

σφραγίς 3) *ἀρᾶν βαρεῖαι καταλλαγαί*, 4) *ἐκβολὰν φέρει ὄλβος ἄγαν παχυνθείς*, was in chiastischer Ordnung nachgewiesen.

ἐπίλογος 790—91. Die Erinys wird sich erfüllen."

Ac primum quidem non est, cur versus 726 *παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει* a prooemio segregetur, quia hic summam totius carminis continet et verbis *ἔρις ἅδ'* causa timoris indicatur, qui timor versibus sequentibus accuratius explicatur. Item non recte Westphalus versum 740 *πόνοι δόμων κ. τ. λ.* parti sequenti tribuit, quod in parte priore non solum *πόνοι νέοι* sed etiam *παλαιὰ κακά* iam commemorata sunt (*ἀρὰ Οἰδίποδος*); transitum hic versus facit ad partem insequentem. Aperte vv. 741—757 arte inter se cohaerent, quibus Laii et Oedipodis miseria enarratur.

De interpretandis versibus 758 sqq. consentirem cum Westphalo, nisi, ut sphragidem archae respondentem faceret, sophistarum ratione contenderet vocem *γάρ* (v. 766) non ad verba *μὴ πόλις σὺν βασιλεῦσι δαμασθῇ* sed ad sola verba *σὺν βασιλεῦσι* pertinere. Qua voce *γάρ* nihil aliud nisi causa adicitur, cuius antea mentio facta erat. Stropha *δ* generalem quidem sententiam continet, sed iam Oedipus chori animo obversatur. Strophae *δ' ε ε'* inter se cohaerent ita, ut prioris strophae sententia generalis in sequentibus ad Oedipodis exemplum accommodetur.

Pulchre canticum sententia terminatur, quae summa est totius cantici: *νῦν δέ τρέω μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινύς.*

Oberdickius[1]) hanc proposuit divisionem:

„I. *προοίμιον. α.* Des Vaters Flüche wird die Erinys vollstrecken.

II. *ἀρχά.* 1. *α'β.* Die beiden Brüder beginnen den verderblichen Kampf.

2. *β'γ.* Der alte Frevel wirkt fort bis ins dritte Geschlecht.

III. *ὀμφαλός. γ'.* Furcht um den Herrscher und um die Stadt: denn

δ. 1. alte Flüche sind schwer abzuwehren,

2. allzu großes Glück ruft Unglück herbei.

IV. *σφραγίς. δ' ε* Das Schicksal des Oedipus beweist das.

V. *ἐπίλογος. ε'.* Der Vater hat die Söhne verflucht, die Erinys wird die Flüche vollenden."

Sed strophas *α' β* cum stropha *α* coniungendas esse docet versus 726 *παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει*, quare Westphalus eundem ad alteram partem pertinere censuit. Antistropham *γ'* vero ad ea, quae antecedunt, pertinere et ex sententia iterata et ex verbis *σὺν βασιλεῦσι* colligitur. Verbis *ἐκβολὰν φέρει ὄλβος* nova adicitur causa, quae copulatur cum prioribus verbis *τέλειαι γὰρ παλαιφάτων ἀρᾶν καταλλαγαί.* Denique strophas *δ' ε* ut singularem partem comprehendere non licet, quod in eis generalis illa sententia accuratius tractatur, quae in stropha *δ* expressa est.

Muffius dicit in ant. *γ'* miseriam Oedipodis, filiorum mortem, civitatis damnum tractari. Sed haec partitio ferri nequit, nam e poëtae verbis id potissimum apparet timere chorum de civitatis detrimento; id comprobatur ipsis verbis: *περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει* et *σὺν βασιλεῦσι.* Neque etiam de interpretanda stropha *δ* assentior Muffio, cum dicit recepta Kirchhoffii coniectura *τὰ δ' ὅλοα*

[1]) Ztschr. f. oest. Gymn. 1876. p. 347.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

πενομένους παρέρχεται: „In Str. *δ* macht Hemichorion *A* eine allgemeine Bemerkung, wie sie das Unglück des Königshauses nahe legt: Großes Leid trifft Hochgestellte, an Armen geht es vorüber.“ Nam haec pauperum commemoratio minime h. l. apta est, quia paullo ante chorus dicit se timere, ne tota civitas cum dominis calamitate affligatur, et difficile esse veteres exsecrationes componi. Quid vero est, cur in vulgata *τὰ δ' ὀλοὰ πελόμεν' οὐ παρέρχεται* offendamus? Verba *οὐ παρέρχεται* plane per figuram *λιτότητος* dicta sunt: „Non praetereunt perniciosa“ i. e. violenter ac perpetuo premunt.“

Animadvertendum est timorem chori h. l. alium esse atque in canticis primo et altero, cum h. l. non sibi timeat sed dominis et civitati.

Cantici divisionem hanc esse arbitror:

I. Filiorum rixa ab Oedipodis exsecratione revocatur. *αα' β'*.

1) Timeo, ne Oedipodis exsecratio perficiatur *α*.

2) Ferro letifero enim de dividenda inter fratres hereditate disceptatur *α'*, quorum mutua nece inexpiabile scelus committitur, *β*.

II. *Παλαιγενὴς παρβασία αἰῶνα ἐς τρίτον μένει, β' γγ'*.

1) De Laii, *β'*,

2) de Oedipodis facinoribus. *γ*.

3) Timor igitur est, ne propterea civitas cum dominis calamitate affligatur. *γ'*.

III. Difficile enim est veteres exsecrationes et perniciem ex nimia felicitate nascentem avertere. *δ*.

IV. Quod explicatur Oedipodis exemplo, de cuius felicitate *δ'*, occaecatione *ε*, filiorum exsecratione *ε'* dicitur.

Hic stropharum ordo: *αα' β β' γγ' δ δ' εε'* iterum docet sententiarum ordinem non totum cum stropharum paribus convenire.

Canticum quartum (v. 832—845) perbreve est, cum corpora mortuorum fratrum in scaenam portentur chorusque threnum cantare paret.

Chorus haec dicit:

I. Horreo Furiam Oedipodis, carmen funebre canto. *α*.

II. Fatum domus expletum est. *α'*.

Versus 846—860 Hermannus in hunc stropharum ordinem redigere conatus est ita: *β* 847—854 *ἀλλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον* et *β'* 855 *ἐρέσσει'* — 860, ut nulla interpunctio inter stropham et antistropham sit. Qua de causa Weilius et Dindorfius in initio et fine singulos versus intercidisse putant et antistropham ab versu *ἀλλὰ γόων κ. τ. λ.* incipere. Sed recte Muffius monet, cum versus bene procedant, de lacuna cogitari non posse itaque Hermanni ordinem putat esse adoptandum. Contra Weckleinius (l. l. p. 219) versus illos strophicos esse prorsus negat atque, ut mihi videtur, suo quidem iure. Omnes enim versus, exceptis duobus logaoedis, trimetri iambici sunt, quamvis liberioris generis. Atque etiam argumento horum versuum forma strophica dissuadetur: verbis enim *τάδ' αὐτόδηλα κ. τ. λ.* nihil indicatur nisi corpora mortuorum adportari ac versibus 854—860 nihil nisi cohortatio chori continetur monentis, ut threnus incipiatur. Neque igitur metrum nec sententiae compositionem strophicam indicant, immo ex verbis *ὦ φίλαι* apparet unum choreutam loqui. Iam cum vulgo coryphaei sit nuntiare, quae personae adveniant, ceterosque choreutas cohortari, ut cantum incipiant, quid est verisimilius quam hos versus a coryphaeo pronuntiatos esse? Quapropter etiam Muffius hos versus coryphaeo tribuere mavult, sed offendit in eo, quod ita duae longiores orationis partes et argumento et metro diversae eidem personae attribuantur. Verum in parodo Agamemnonis nonne multo diversiores extant cantici partes (v. 1—103 et 114—159), quae vix fieri potest quin coryphaeo addicantur? Praeterea iamborum dissolutorum usus in loco simillimo (Agam. 476 sqq.) est, qui et ipse argumento

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a stasimo differt. Neque etiam iambi atque anapaesti adeo diversi sunt, ut ab uno eodemque pronuntiari nequeant. Omnibus igitur his de causis non est, cur illos versus coryphaeo tribuere dubitemus.

Quod autem Weckleinius tres partes in his versibus discerni posse putat — v. 846 *τάδ' αὐτόδηλα* coryphaei, v. 852 *τί δ' ἄλλο κ. τ. λ.* ducis alterius hemichorii, v. 854 *ἀλλὰ γόων κ. τ. λ.* coryphaei, — hanc opinionem infirmavit Muffius[1]) docens verba *τί φῶ*; non veram sed rhetoricam interrogationem esse.

5 De Agamemnonis fabulae canticis.

Canticum primum (v. 40—257) Westphalus sic partitus est:

104—107. *προοίμιον. α.* Der Chor in seiner Subjectivität. } *αα'β.*
108—159. *ἀρχά.* Epische Erzählung.
160—183. *ὀμφαλ.* Zeus. *γγ' δ.*
184—254. *σφραγίς.* Epische Erzählung. } *δ' εε' ϛϛ' ζζ'.*
255—257. *ἐπιλ. ζ'* Ende. Der Chor in seiner Subjectivität.

Quam partitionem primum hac de causa inprobo, quod versus 104—159 stropharum forma et ephymnio ter repetito arte inter se conexi et forma epodica a ceteris strophis segregati sunt. Deinde narratio in versibus 108—159 aliter est comparata atque in versibus 184—254. In illis enim causa posterioris calamitatis Agamemnoni e bello Troiano eventurae sub imagine portenti et Calchantis interpretatio referuntur, contra strophis *δ' εε' ϛϛ' ζζ'* explanatur tantummodo sententia, quae est in stropha *δ*: *τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, τὸν πάθει μάθος θέντα κυρίως ἔχειν κ. τ. λ.* ad Agamemnonem accommodata[2]); itaque minime respondent strophis *αα'β* sed potius strophis *γγ' δ.* Omnino tota illa partitio non sufficit, quod non verum sententiarum ordinem exhibet.

Arnoldtus tres partes dinstinguit: systema anapaesticum, systema dactylicum Calchantis vaticinium continens, systema choreum continens, hymnum in Jovem h. e. sententiam in omne tempus valentem, applicationem huius sententiae ad Agamemnonis exemplum, quod ad tempus praeteritum pertineat, denique futuri temporis providentiam. Qua in partitione nexum strophae *δ* cum antecedentibus desideramus, omnino secundum temporis diversitatem poetam sententias distinxisse nullo modo apparet.

Neque etiam Bambergeri (Opusc. p. 40) opinio de nexu partis epodicae cum strophis sequentibus ferri potest: „Chorum quasi commentari de vaticinio Calchantis ac suam de rebus divinis sententiam Calchanti opponere.“ Nam expresse utriusque partis nexus significatur in stropha *γ.*: *οὐκ ἔχω προσεικάσαι, πάντ' ἐπισταθμώμενος, πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως* i. e. commemoratione vaticinii Calchantis tanta sollicitudine afficitur chorus, ut ad solum Jovem implorandum animum advertat.[3]) Quae cum ita sint, haec sola Schneidewini interpretatio h. l. Aeschylo satisfacit: „An Zeus wende ich mich, da ich außer ihm niemand aufzufinden vermag, (der entscheide), ob ich meine Sorge verbannen darf. Denn er hat die Herrschaft roher Gewalt überwunden und für Vergehungen

---

[1]) Jahrb. f. Phil. 1883. p. 24.

[2]) cf. Wecklein. Stud. p. 106. Arnoldt. Der Chor im Agam. p. 8. 17. Prien. Rhein. Mus. VI. p. 164.

[3]) H. Schmidt. l. l. „Der Chor geht von der Reflexion zum Ausdrucke seiner persönlichen Gefühle über, daher wird das Taktmass diplasisch, noch soll weniger der Schmerz zum Ausdruck kommen als das Vertrauen in die göttliche Leitung sich offenbaren, also keine Jamben, sondern Trochäen, ein weit ruhigeres Metrum.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

den Menschen Leiden zur Besserung bestimmt. Daher muß es für eine Huld gelten, daß er die, welche gefehlt, gar zwingt, auf den rechten Weg umzukehren."[1])

Nexum sententiarum, quae sequuntur, optime Weckleinius hunc esse docet: *ἀεὶ μὲν κυρίως ἔχει πάθει μάθος, καὶ νῦν Ἀγαμέμνονι, ἐπεὶ τότε τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω, ὥστε θυτὴρ γενέσθαι θυγατρὸς τλῆναι, δίκη τοῦ Διὸς (τὸ κυρίως ἔχον) παθεῖν ἐπιρρέπει.*

Itaque sic discribo canticum:[2])

I. In exordio, hypermetris anapaesticis, dicitur 1) quomodo quaque de causa Atridae bellum Troianis intulerint (40—72), 2) cui ipse chorus propter senectutem interesse nequiverit. (72—83) 3) Clytaemnestram hortatur, ut sibi dicat, cur sacrificia fieri iubeat, eaque re angorem animi sibi sublevet (82—104).

II. De portento chorus canit et Calchantis vaticinio urbis quidem expugnationem sed etiam mala Agamemnoni propter Dianae iram praemonstrante. *αα΄β.*

III. Animi sui curam Jovis rerum moderationi committit, qui calamitatibus homines ad sapientiam ducit et etiam Agamemnonis sortem regit. *γ—ζ.*

1. De Jovis rerum moderatione *γγ΄δ.*
2. De Agamemnone. *δ΄—ζ.*
   a) narratur quomodo, ne conatus frustraretur, filiam immolare animum induxerit. *δεε΄*
   b) Immolatio describitur. *ϛϛ΄ζ.*
   c) Tecte significat chorus se timere, ne futurum sit, ut Agamemno facinoris poenas luat et inde animi temperantiam discat, rerumque bonum eventum optat. *ζ.*

Tertia igitur parodi pars[3]) sic ordinata est: *γγ΄δ δ΄εε΄ ϛϛ΄ζ ζ.*

Huius parodi propter triplicem formam valde memorabilis (habet enim praeter anapaestos duo carmina melica) verisimillimum est non solum hypermetra anapaestica sed etiam strophas *αα΄β* a coryphaeo recitata ephymniumque *αἴλινον κ. τ. λ.* a toto choro cantatum esse. Aliter enim imperativus *εἰπέ* explicari vix potest.[4])

In dividendo cantico altero (v. 367—474) priores interpretes praeter O. Müllerum in eo erraverunt, quod non videbant epodum argumento a ceteris cantici partibus discrepare.[5]) Praeter epodum duas potissimum partes distinxerunt interpretes. Atque Bambergerus quidem a se ipso dissentit, cum censet dici quidem de viro iniusto et Paride, sed de solo Agamemnone in toto cantico

---

[1]) Weckleinii interpretatio (Stud. p. 103): „Und wo ist da (legit *ποῦ*) die Huld und Nachsicht der Götter, die gewaltig auf hoher Ruderbank thronen oder mit eiserner Hand das Scepter führen? d. h. die volle Strenge der göttlichen Herrschaft hat zu fühlen, wer nicht hören will" neque poetae verba accurate exprimit neque bene ad praegressam sententiam quadrare mihi videtur. Cf. Hermannus et Hensius ad h. l. Wilamowitzius vertit: „Gott lenkt das Weltenregiment gewaltsam, doch Gott ist gütig."

[2]) Cum de singulis Arnoldtus et Weckleinius optime disseruerint, haec tantum adnoto: v. 183 Rauchenstein. Jbch. f. Phil. 1856. p. 538 et Schoemann. *βιαίως* legunt et cum voce *χάρις* coniungunt. Sed *βιαίως* non mutandum est, verum in antistropha mendum inest. v. 250 bene Hartungus ita videtur restituisse: *τὸ μέλλον δὲ προκλύειν, πρὶν γένοιτο, χαιρέτω, ἴσον δὲ τῷ προστένειν.*

[3]) Arnoldt. l. l. p. 17 de hoc stropharum ordine haec annotat: „Hiernach sind die einzelnen Strophenpaare nicht gegen einander abgegrenzt sondern unter einander verknüpft" Weiliique de stropharum coniunctione opinionem (Jbch. f. Phil. 1864. p. 294) recte refutat.

[4]) Scholiastae de ephymnio verba: *ἐπειδὴ ὁ αἴλινος καὶ ἐπὶ θρήνου λέγεται, φησὶν ὅτι ἐν τάξει ὕμνου αὐτὸν λέγε* <ita Weckleinius legit, Dindorfius et Kirchhoffius habent *λέγει.*> idoneum sensum non praebent: videtur scribendum esse *ἐν τάξει ἐφυμνίου,* quo haec evadit sententia: „Cum aelinus etiam de threno dicatur, dicit: pronuntia eum ephymnii loco."

[5]) Cf. Arnoldt. l. l. p. 42. Wecklein. Über d. Technik d. Chorges. d. Aesch. p. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cogitationem esse. Sic enim dicit: (l. l. p. 45) „Prior est pars de viro iniusto et de Paride quantis hic calamitatibus affecerit et Menelaum et universam Graeciam, altera de populi in Atridas propter susceptam expeditionem iris. Tenendum est autem eius (chori) animo unum Agamemnonem[1]) obversari, in hunc eum omnem curam atque cogitationem intentam habere, ut nihil fiat aut dicatur, quin ad illum a choro cogitatione referatur, ac summa quidem cum ironia et acerbitate.“ Sed hoc ipsa poëtae verba vetant; nam Agamemnonis nomen omnino non commemoratur, Atridas autem populo invidiae esse in fine demum cantici dicitur. Neque vero ironia convenit cum moribus huius chori, qui quantopere dominum amet intellegitur ex versibus 788 sqq.

Accuratius Bohlius (Progr. Monaster. 1863. p. 13) dicit: „In primis strophis miseriam describi, qua et Paris ipse et universa Troianorum civitas poenas dederint, qua et ipse Menelaus et universa Graecia propter Paridis nefarium facinus affecti sint. Sed cum et ipsi Atridae, in primis Agamemno, huius miseriae propter mulierem adulteram suamque ipsorum gloriam universae Graeciae illatae auctores fuerint, ipsos Atridas deorum vindictam manere oportere, nam ab iis, qui multos civium morti dederint, deos poenas repetere.“ Sed quae contra Bambergerum et Schneidewinum disputavi, ea in Bohlium quoque cadunt; nam de nulla alia Agamemnonis culpa sermo est, nisi quod hic et Menelaus multos Graecos bello consumpserint, itaque isto modo cantici partes conectere non licet.

Westphalus hunc sententiarum ordinem sibi fingit:

ἀρχά (367) Die Götter ereilen den, der Blut auf sich geladen, auch wenn er noch so mächtig ist. (Paris.)

κατατροπά. (385) Paris der Frevler.

ὀμφαλός. (402) 1. Der Jammer, den Paris über das Haus des Menelaos brachte. 2. Der Jammer, den Paris über ganz Hellas brachte, an dem aber auch Agamemnon Mitschuldiger ist.

μετακατατροπά. (447) Agamemnon, an den sich der Fluch von Hellas knüpft.

σφραγίς. (458) Die Götter ereilen den, der Blut auf sich geladen . . . (Agamemnon).

ἐπίλογος (475) Hass gegen Klytaemnestra.

Contra Arnoldtus (l. l. p. 40) dicit de hac discriptione nihil nisi id concedi posse chorum in fine cantici similes sententias morales pronuntiare atque in initio; catatropam vero non ab initio primae antistrophae institui licere sed inde a versu 399 itaque archam usque ad versum 399 amplificandam esse.

Praeterea monendum est in eis partibus, quas Westphalus de Paride statuit, accuratam distinctionem requiri. Deinde verbis (v. 371) *ἀθίκτων χάρις πατοῖθ'* de sanguine nihil indicatur, nisi forte in voce *Ἄρη* (v. 375) sanguinis notionem inesse putamus. At certe in hoc enuntiato non *Ἄρη*[2]) maximam vim habet, si quidem id genuinum putamus, sed verba *ἀτολμήτων πνεόντων μεῖζον, φλεόντων δωμάτων ὑπέρφεν.* Idem apparet etiam ex verbis quae sequuntur *οὐ γὰρ ἔπαλξις πλούτου.* (cf. Weil. ad h. l.) Engeri explicatio: — „Dicit bellum ad tuendam rapinam a Paride et Troianis

---

[1]) Idem censet Schneidewin. Einleit. p. XXXII.

[2]) De prolis pernicie h. l. sermo esse omnino non potest, sed de ipsius superbientis interitu, ut ex v. 384 sqq. cognoscitur. Itaque vocabulum *ἔγγονος* vel *ἔκγονος* h. l. ferri nequit. Sensui haec optime videntur convenire:

πέφανται δ' ἐγκονοῦσ'
ἁ τολμητῶν ἀρὰ
πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως

i. e. apparuit celerem esse temerariorum noxam, qui altiores spiritus gerunt quam licet. Si quis offendit in producta anacrusi *ἁ*, scribi potest *πέφανται δ' ἐγκονοῦσα*
τολμητῶν ἀρά.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

susceptum, quo scelus illud non est occultatum sed etiam magis conspicuum redditum, ut quasi lux perniciosa splenderet" — haec admodum artificiosa et parum probabilis est et ne cohaeret quidem cum imagine aeris adulterini, quae subsequitur. Immo generalis est sententia. Nam utcunque de tradita (v. 386) scriptura iudicatur, in aperto est verbis sequentibus indicari, nulla medicina averti posse noxam perniciosae illius suadae sed propalam in lucem prodire neque virum, qui civitati damnum intulerit, incognitum manere. Ad *μελαμπαγὴς πέλει* enim, nisi in verbis *ἐπεὶ διώκει παῖς πότανον ὄρνιν* quid vitii est, ex v. 383 subaudiendum est *ἀνήρ*.

Inde a v. 399 generalis sententia ad Paridem applicatur. Praeterea apparet initium antistrophae *α'* cum fine strophae *α* conexum esse. Explicatur enim, quomodo homo opulentus superbia elatus Justitiae leges violet. Hoc enim efficitur suada occaecationis, quae nimiam opulentiam sequi solet. Deinde stropha *β* et ant. *β'*, quibus Menelai calamitas explicatur, bene inter se cohaerent, atque in altera quidem parte antistrophae *β'* procedit oratio ad iram populi, quae ex nece popularium exorta sit. Haec sententia in str. *γ*. continuatur, quae, sicut antistropha *α'*, Atridarum commemoratione terminatur. In ant. *γ'* denique timor explicatur, quo chorus afficitur propter res ab Atridis gestas nimiamque eorum felicitatem. Attamen nec versus 447 sqq. ab stropha *γ* nec versus 456 et 457 ab antistropha *γ'* ut singulares partes secernere licet, quia in illis rerum, quae antecedunt, necessaria consequentia adicitur, in his ex solo sententiarum nexu intellegitur breviter comprehendi et repeti ea, quae iam in stropha *γ* dicta sunt. Aeque versus extremi 471—474 non necessario propriam partem faciunt. Comprehendentibus iam sententiarum nexum[1]) huius cantici, haec earum series efficitur:

I. Unumquodque scelus a dis res humanas curantibus vindicatur neque ullum eis latet. *α—α'* v. 399.

II. Scelus, quod Paris commisit raptu Helenae belloque ea re excitato (*α'* v. 399 — *β* v. 408), quantum fuerit explicatur,

1) ac primum quidem quantum mali Menelao (*β* v. 408—*β'* v. 427),
2) deinde quantum universae Graeciae ille attulerit, unde Atridis invidia civium nascatur (v. 427—*γ'* 458).
3) Itaque timet chorus ne ex hoc bello, si victoriam reportaverint Atridae, alia calamitas oriatur, funestam enim esse nimiam felicitatem et belli gloriam.

Epodus quae sequitur cum ipsius carminis argumento non conectitur, sed ad praegressum diverbium respicit, ubi memoratus est nuntius de Troiae expugnatione allatus, qui num verus sit chorus dubitat. Neque solum ea re memorabile est hoc carmen, sed etiam eo, quod argumenti partes non cum stropharum finibus conveniunt, sed intra ipsas strophas terminantur.

Cantici tertii (v. 681—780) compositio quamvis simplex et plana sit, tamen in eo dividendo longe a vero Westphalus aberravit. Hunc enim ordinem proponit:

„*ἀρχά* (*αα'*) Helenas Flucht, Verfolgung, um Rache zu fordern und thränenreiches Brautlied anzustimmen.

ὀμφαλός (*ββ'*) Helena unter dem Bilde des jungen Löwen.

σφραγίς (*γ*) Schwinden des Liebeszaubers der Helena, sie zeigt sich als *ἐρινύς* den Priamiden.

ἐπίλογος (*γ'δδ'*). Dogmatische Reflexionen an das schon abgeschlossene lyrische Gedicht geknüpft.

Arnoldtus (l. l. p. 49) Westphalum vituperat, quod hoc quidem loco licentius generalem sententiam ad epilogum rettulerit, alioqui ad omphalum.

Id ad normam Terpandream male adhibitam valet, sed etiam contra totam divisionem multa sunt quae faciant. Cum enim sententiae stropharum *αά* acerbissimae sint nec simplicem narrationem

[1]) De eis, quae omisi, optime egit Arnoldtus l. l. p. 38—39, qui id imprimis docet in hoc quoque cantico sententiarum ordinem ab ordine strophico dissentire.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contineant, — nam in str. α nomen Helenae explicatur et cum facinoribus eius comparatur, in ant. α' Helena nupta *δορίγαμβρος* appellatur, quae Troianis *κῆδος ὀρθόνυμον* attulerit, et haec nuptiarum miserarum imago cum ironia amplificatur: — inde intellegitur discrimen intercedere inter has strophas et stropham γ, quam ut sphragidem illis respondere censet Westphalus. Verum stropha γ cum strophis $\beta\beta'$ cohaeret, in quibus Helena cum leone adulescente comparatur. Atque in stropha β quidem prior iuventutis venustas, in ant. β' innata saevitia describitur, qua domini pereant; in str. γ autem imago illa ad ipsam Helenam transfertur, atque eaedem duae partes hic reperiuntur, quae extant in strophis $\beta\beta'$, prior inde a versu 737, in qua Helenae venustas, altera inde a v. 744, in qua calamitas ab Helena Troianis allata describitur. Strophae $\beta\beta'\gamma$ igitur separari non possunt. Antistropha γ' quidem cum strophis $\delta\delta'$ cohaeret, sed ita, ut summa stropharum $\delta\delta'$ antistropha γ' contineatur, cum in illis singillatim explicetur, quod in hac in universum dictum est. Quae sententia cum generalis sit nec perinde comparata atque in cantico altero, ubi expresse declaretur Helenae Paridisque scelus simul Atridas afflixisse, Schneidewini opinio improbanda est putantis hic non tam Troiam et Paridem quam Agamemnonem significari.

Quae cum ita sint, Arnoldtus hoc canticum in tres partes divisit ita: „Teil I behandelt das Geschick, das sich an Helena knüpft, in mehr epischer Erzählung und an der Hand der Ereignisse in Ilion, der II. rein reflektirend und vermittels einer aus dem allgemeinen Menschenleben gewählten Parabel, der III. endlich bietet den ethischen Niederschlag, den Erzählung und Reflexion in der Seele des Chors absetzen."

Itaque nos paullo accuratius hunc sententiarum nexum discribimus:

I. Helenae adventus Troianis calamitatem attulit. $\alpha\alpha'$.

II. 1) Ut enim catulus leonis, quem quis domi alit, primum quidem mansuetum et placidum se praebet, deinde vero adultus ingenitam naturam ostendit domumque cruore ac caede implet, ($\beta\beta'$).

2) ita Helenae quoque primus quidem aspectus laetus ac mitis fuit, sed mox perniciosa Priamidis facta est. (γ.)

III. 1) Non felicitas sed improbitas calamitatem parit, cum iustus homo bona sorte fruatur; (γ')

2) nam insolentia perniciem affert, iustitia autem male partas divitias spernens etiam in humili domo splendet omniaque ad bonum eventum ducit. $\delta\delta'$.

Hac igitur ratione carmen[1]) compositum est: $\alpha\alpha'$ $\beta\beta'\gamma$ $\gamma'\delta\delta'$.

Manifestum est tertiam partem cum prioribus ita cohaerere, ut poeta propter iniuriam commissam Helenae adventum Troianis funestum fuisse indicet.

Canticum quartum[2]) (v. 975—1034) optime tractavit Weckleinius.[3])

Chorus dicit:

---

[1]) Coniecturas has probo: v. 718 *ἴνιν* pro *σινιν* et in antistropha *ἦθος* pro *ἔθος* Conington. v. 766. *τότ' ἢ τόθ' ὅτε τὸ κύριον μόλῃ νεανόνον φάος, δαίμονα τίταν κ. τ. λ.* Heimsoeth.

[2]) v. 983. *χρόνος δ' ἐπεὶ κ. τ. λ.* Weckleinius ita explicat: „Es ist die Zeit, seitdem d. h. es nahm seinen Anfang mit dem Augenblicke, wo." Sed nominativus *χρόνος* potius alteri explicationi favet: *χρόνος* (scil. *πολὺς ἐστι*) *ἐπεί*. Cf. Keck. Wilamowitz. ad h. l. v. 985 legitur *φαμμίας ἀκάτα παρήβησεν* contra rhythmum et sensum. Weckleinius emendavit: *ψάμμος ἀκτᾶς* (Hartung.) *παρήχησεν*. — v. 1001 sqq. sic vertit Wilamowitz: „Wenn allzuvoll die Gesundheit blüht, vergisst sie des Masses; der Nachbar wühlt an der scheidenden Mauer, die Krankheit. Und segelt zu grade die Barke des Glücks: rasch trifft sie das Riff, das unter der Brandung verborgen." v. 1020. *ἀνδρὸς αἷμα* Keckius non recte ad Agamemnonis caedem transfert. Weckleinius recte explicat „Menschenblut.". Certe chorus Iphigeniae immolationem significat.

[3]) Stud. p. 124 et Philol. XXXVIII p. 353.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. Se perpetuo angore cruciari ex eo tempore, quo classis ab Aulide profecta sit, usque ad hoc quo exercitus redierit, quo angore se liberari cupit. *αα'*.

II. Causam angoris exponit; Afflictam valetudinem et amissas opes reparari posse sed effusum hominis sanguinem restitui non posse, qua de re ne plura eloquatur se impediri profitetur dominorum reverentia. *ββ'*.

6. De Choephororum fabulae canticis.

Canticum primum (v. 22—83) cum saepe tractatum sit, tamen de sententiarum nexu etiamnunc magna exstat dissensio. Weckleinius[1]) cum varias de interpretandis strophis *ββ'γγ'* sententias collegerit et examinaverit, satis habeo ea tantum attigisse, quae ille aut omisit aut non recte videtur dixisse.

Mire Keckius stropharum *ββ'* et *γγ'* sedes mutat, quod antea de ratione mortuorum placandorum nihil dictum sit et ita *τοιάδε κ. τ. λ.* nihil habeat in strophis antecedentibus, quo referatur. Quasi vero non in ipso cantici exordio expresse chorus dixerit: *ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν* nec strophis *αα'* pompam eiusque causam explicaverit. Buchholtzius[2]) praecipue Westphali[3]) partitionem examinat et demonstrat strophas *ββ'* propter persimilem compositionem secerni non posse.

Secundum stropharum ordinem Buchholtzius tres partes statuit:

I. (*αα'*) „Aufklärung über das, was der Zuschauer mit Augen sieht: ein Zug zur Versöhnung des Schattens des Agamemnon, geschickt von Klytämnestra.

II. (*ββ'γγ'*) Besondre Gedanken des Chors über die Vergeblichkeit seines Beginnens.

III. Epodos. Trotz dieser Überzeugung hat der Chor den Auftrag ausgeführt."

In hac quidem partitione nihil vituperari potest, sed in explicanda antistropha *β'* non idem profecit. Sic enim explicat p. 221: „Kurzsichtige halten äußeres Wohlergehen für das Höchste, für höher als die Gottheit: die Gerechtigkeit aber sieht nicht nur den Glücklichen sondern auch den bald hervorbrechenden Bestrafer desselben, den Rächer des im Unglück und in der Todesnacht Weilenden."

Quae explicatio non solum obscuram sententiam praebet sed etiam talem cuius nec vola nec vestigium in traditis verbis insit. Ubi enim scriptum est illos felicitatem pluris aestimare quam deos? Ubi est ultor? Quanam ratione verba *τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει χρονίζοντ'* significare possunt ultorem mox erumpentem? Ubi denique ii nominantur, qui in calamitate et mortis tenebris versantur?

Sed ne Weckleinii[4]) quidem explicatione huius loci, quamvis sagaciter excogitata sit, omnes

---

[1]) Weckleinius Stud. p 150 et Philol. XXXVIII. p. 350 acute indicavit de explicationibus Bambergeri Opusc. p. 58. O. Mülleri Zeitschr. f. A. 1836 p. 21. Weilii, Mehleri Mnem. VI. p. 91. Heimsoethii Wiederherst. p. 120. Naegelsbachii Bair. Ak. d. W. 1858 p. 160. Merkeli Progr. Quedlinb. 1863 p. 2. Keckii Symb. phil. Bonn. 1864—67. p. 210. Westphali Prol. p. 103. Schoemanni Jbch. f. Phil. 1877. p. 3. 366.

[2]) Philol. XXXIII. p. 223.

[3]) Monere poterat Buchholtzius antistropham *γ'* divelli non licere a stropha *γ*, quia in antistropha idem dictum sit, quod in stropha, parricidam expiari non posse; deinde de nexu grammatico inter verba *ἐμοὶ δέ* (v. 75) et *φοβοῦμαι* (v. 46), cum quattuor strophae interpositae sint, cogitari non posse — ita enim Westphalus l. l. p. 104 archam et sphragidem sibi respondere vult, — immo verba *ἐμοὶ δέ* sententiae priori (piaculum interfectoris esse non posse) opposita esse.

[4]) „Deutlich scheiden sich 3 Glieder des Gedankens: *ἐν φάει, ἐν μεταιχμίῳ σκότου, ἐν νυκτί* im Lichte, im Zwielichte, in der Dunkelheit, *ταχεῖα* schnell, *χρονία* langsam, *ἄκραντος* gar nicht. Die ersten Begriffe stehen in causalem Verhältnisse zu den andern: schnell, weil im Lichte, langsam, weil im Zwielichte, gar nicht, weil in der Dunkelheit . . . Verbrechen werden theils sofort, theils spät, theils gar nicht bestraft, der Mord aber wird immer bestraft." Cf. Philol. XXXVIII. p. 353.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

difficultates expediuntur. Neque enim credibile est Aeschylum tam dubitanter de Justitiae vi iudicasse, ut h. l. dicat nonnulla scelera omnino non puniri. Neque ullo modo indicatum est contrarium illud, quod Weckleinius statuit, alia scelera nonnunquam in obscuro et inulta manere, necis poenam certam esse. Certe cum totius sententiae, quam ille statuit, vis in hac oppositione sit, contrarii indicium deesse non debet. Sed neque coniunctionem adversativam legimus neque illa vocabulorum oppositione clare indicatum asyndeton esse adversativum.

Sensus hic videtur esse: Impetus divinae ultionis alios manifesta in luce, i. e. sceleris manifestos, statim corripit, alios, quorum culpa sublucana, i. e. incerta, visa est, tardius, alios irrita nox tegit, i. e. ne facinora quidem plane in tenebris sive in secreto perpetrata poenam effugiunt. Deinde pergit: Sanguis effusus dilui (i. e. nex celari) nequit; sed dira poena interfectorem manet, quod nullo modo expiari eius culpa potest. Itaque hunc sententiarum ordinem esse cognoscitur:[1])

I. De causa libationis dicitur. *αα'*.

II. Sed frustra fit libatio (*ββ'γγ'*); nam

1) nullum est effusi sanguinis piaculum sed funestum interitum domui affert. *β*.

2) Ut enim omne scelus serius ocius punitur (*β'*), ita etiam

3) necis inexpiabile facinus ultio sua manet. *γγ'*.

III. At meum est tacite probare dominorum facta, sive iusta sunt sive iniusta. *ἐπῳδ.*

Canticum alterum (v. 585—652) Mehlissus[2]) sic discribit:

I. „Die Schuld *αα'ββ'*. A. Vieles dem Menschen Verderbliche enthält die Natur. *α*. B. Dies wird überboten durch das, was der Mensch, insbesondere das Weib, in unnatürlicher Leidenschaft gegen Menschen zu thun im Stande ist. *α'*. C. Zeugen dafür sind die Thaten: a) der Althaea (*β*), b) der Scylla (*β'*).

II. Die Strafe *γγ'δδ'*. A. Jene erhielten für ihre Verbrechen Strafe, daran möge das Weib denken, welches eine gleiche Strafe verdient: a) um ihres Gatten willen. *γ*. b) um des Landes willen, denn eine solche That gereicht, wie das *λήμνιον κακόν* beweist, dem ganzen Lande zur Schande. *γ'*. B. Die Strafe muss erfolgen wegen der göttlichen Gerechtigkeit *δ*. C. Sie erfolgt in der That bald, und die Götter selbst werden dem Rächer Beistand leisten. *δ'*.

Verum de culpa in parte I nihil invenitur, pariter nihil de culpa Clytaemnestrae et Aegisthi, id quod putat Mehlissus. Altera pars II A. coniectura nititur, quam ipse protulit, parum probabili (*ἔπεστ' ἐπιμνασέμεν ἀμειλίχων πόνων κ. τ. λ.*); neque enim terminatio *μεν* infinitivi in tragoediis invenitur neque verbum *ἔπεστι* cum infinitivo futuri coniungere licet neque omnino *ἔπεστ' ἐπιμνασέμεν* significare potest: „id uxor meminerit". Deinde argumentum II, A, b Aeschyli verbis non continetur; denique in parte II, C Aeschyli verba falso explicantur.

Rectius dicit Naegelsbachius (l. l. p. 478): „Locutus est chorus in stropha de crudelissima matre, in antistropha de impia filia. Quid magis in promptu, quam addere nefariam uxorem?"

Deinde Weckleinius (Philol. XXXVIII. p. 356) stropham *γ* post antistropham *γ'* ponendam esse rectissime censet. Postquam enim chorus dixit: cum tam atrocium libidinum mentionem fecerim, importunum est de Clytaemnestrae facinore tacere, non potest rursus aliud atrocis libidinis exemplum afferre. Itaque quin haec transpositio vera sit non licet dubitare. Verbis autem *τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω* bene concludit priora muliebris libidinis exempla, ut eis ad rem demonstrandam apte collectis addat novissimum Clytaemnestrae flagitium.

---

[1]) v. 71 sic lego: *θιγόντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἐδωλίων* (i. e. fontium, Schoemann.) *ἄκος, πύροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ διαίνοντες τὸν χερομυοῦ φόνον καθαρσίοις ἴοιεν ἂν μάταν.* Hermann.

[2]) Progr. Quedlinburg. 1870. p. 13.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic igitur totius cantici[1]) ordo evadit:

I. Multa horribilia rerum natura habet; sed magis horribilia humana, praecipue mulierum libidine perpetrantur. αα'.

II. Eius rei exempla sunt facinora

1) Althaeae matris β,
2) Scyllae filiae β',
3) Lemniarum uxorum γ',
4) Clytaemnestrae γ.

III. Sed talia cruenta facinora ultrix Justitia tandem assequitur δδ'. Hoc igitur est divisionis schema: αα' ββ'γγ' δδ'.

Canticum tertium (v. 783—837) strophicum esse primus vidit Hermannus (Observat. crit. p. 114.) In editione Aeschyli hunc stropharum ordinem instituit: α 783, β 709, α' 795, γ 800, μεσῳδός 806, γ' 812. δ 819, β' 827, δ' 831, quem multi comprobaverunt.[2])

Weilius strophae γ et ant. γ' sedes mutavit, quod verba sequentia καὶ τότ' ἤδη (emend. Hermannus ex τότε δή) non haberent, quo referrentur. Sed bene referri possunt ad verba ξυλλάβοι... πρᾶξιν οὐρίαν θέλων ita, ut facile ad τότ' ἤδη animo suppleri possit: „Si Mercurius ceteros deos adiuverit." Contra Engerus[3]) stropham δ propter sententiarum nexum in fine cantici ponendam esse censuit sine ulla, opinor, causa. Nam bene in exitu carminis Orestes ad caedem patrandam incitatur.

Nunc vero priorum interpretum rationibus supersedere licet, cum ex recensione Kirchhoffii prorsus alia cantici forma evaserit. Dindorfii enim exemplo, qui mesodum (806—811) ut ephymnium post antistropham γ' (812—818) repetierat, Kirchhoffius stropham β (789 - 793), mesodum (806—811), antistropham β' (827—830) ut ephymnia iteravit. Etenim hac sola ratione responsionis difficultates commode sublevantur. Ita hunc simplicem stropharum ordinem consequimur: α (783—794) α', β (800—811) β', γ (819 - 830) γ'. Quae Weckleinius[4]) in universum cum Kirchhoffio consentiens contra hunc ordinem monuit non eiusmodi sunt, ut ephymniorum usum h. l. infirment. Cum enim Orestes dubitet matricidium facere, apte chorus verba repetit, quibus doceat patris miseria matricidium expostulari, misericordiae vel verecundiae locum non esse.[5]) Neque minus apte Apollo[6]) iterum imploratur

[1]) Stropha γ non satis emendata est, id vero patet postremo de Clytaemnestrae horribili scelere sermonem esse. Ex corruptissimis strophis δδ' nihil fere nisi universa sententia pro certo cognoscitur. De interpretandis singulis locis cf. Schoemann. l. l.

[2]) Lachmann, de chor. syst. p. 74 hunc exhibet ordinem: αα' ββ' ἐπῳδός.

[3]) Jbch. f. Phil. 1856, p. 445.

[4]) Technik. p. 222.

[5]) Ceterum huius ephymnii verba adeo depravata sunt, ut nihil nisi universa eius sententia certo cognoscatur.

[6]) In Med. legitur v. 806: τὸ δὲ καλῶς κτάμενον ὦ μέγα ναίων στόμιον, εὖ δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρὸς καί νιν ἐλευθερίως λαμπρῶς ἰδεῖν φιλίοις ὄμμασι δυσφερᾶς καλύπτρας. Jongh. Naegelsbach. Seidler. tuentur κτάμενον et interpungunt post κτάμενον. Jonghius vertit: „Vetus caedes ne in domo amplius pariat, haec caedes si feliciter peracta erit." Naegelsbachius vertit: „Hoc, quod occiditur, recte occisum est." At hoc est scriptis verbis prorsus aliena interpretando substituere. Bambergerus coniecit κτίμενον, quem cum secuti sint Franz. Enger. Hermann. Dindorf. Wecklein. et ipse sequor. Neque mihi persuadetur eis quae Schoemannus contra Bambergerum disseruit. Nam quid sibi vult, cum dicit: „Dem himmlischen Lichtgotte in dem durch στόμιον bezeichneten Höhlenraum seine Wohnung anzuweisen, war doch gewiss nicht schicklich"? Nonne simillime Cho. 953 de sede Apollinis dicitur μέγαν ἔχων μυχόν? Quidni chorus petat, ut is deus, qui matricidium perpetrare fas iudicet ac solus Orestem instimulet, ut is bonum eventum efficiat? (Cf. Cho. 940 ἔλασε, pro ἔλακε θεόθεν, et Cho. 955 ἐποίχεται, ubi item de instimulatore Apolline sermo est.) Atque etiam ipsius Schoemanni coniectura, εὖ δὸς ἀνίμεν δόμον ἄνδρα huic loco non convenit, quod fortior sententia requiritur, id quod intellegitur ex verbis: ξυλλάβοι δ' ἐνδίκως παῖς ὁ Μαίας πρᾶξιν οὐρίαν θέλων, unde apparet de adiuvando facinore sermonem esse. Quod scholiastes Plutonem significari putat, nihil valet, quia ex eius interpretationibus colligendum est eum hoc canticum non minus corruptum legisse quam nos. Accedit quod facile ad illam explicationem adduci poterat verbis quae in stropha sunt: ἰδεῖν φιλίοις ὄμμασι <ν ἐκ> δυσφερᾶς καλύπτρας.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut auctor matricidii et patronus Orestis. Nec, si reponimus ephymnium ultimum, verba σὺ δὲ inepta sunt, quia verbis τὸν αἴτιον μόρου opponi possunt. Bambergerus canticum ita discribit: „In faustum pugnae eventum preces fundunt. Tribus primis strophis invocant Jovem, tribus sequentibus penates, Apollinem, Mercurium, tribus postremis felicem eventum, quem ipsae cantu celebraturae sint, augurantur, cohortantur Orestem, ut bono animo cruentum facinus aggrediatur neque ullis matris precibus demulceri se sinat."

Accomodatius explicat carmen Naegelsbachius: „Est enim discriptio carminis tripartita. Dii prosperate victoriam; inde recuperatae salutis ingens redundabit laetitia; ergo fortiter Orestes rem perfice."

Ego canticum[1]) sic dividere velim:

I. Deos implorat chorus, ut Orestem in exsequenda ultione adiuvent. αα'ββ'.

1) Jovem, αα',

2) Penates et Apollinem, β,

3) Mercurium et Apollinem β'.

II. Cum ex ultione deorum auxilio perpetrata magna redundatura sit laetitia, Orestem hortatur, ut sua operis parte fortiter et dure perfungatur. γγ'.

Ita haec exoritur divisionis figura: αα' ββ' γγ'.

Canticum quartum (v. 935—972) non minus corruptum est quam tertium. Hermannus strophas κατὰ συζυγίαν disposuit (α 935—945, α' 946—954, β 955—961, β' 962—972) ita tamen, ut lacunam esse post versum 954 μέγαν ἔχων μυχὸν χθονός suspicaretur. Alii stropham et antistropham et epodum auctore Cantero posuerunt; alii denique, atque hi quidem probabilius quam ceteri, hunc stropharum ordinem esse putarunt: α β α' γ β' γ'. Sed hic quoque Kirchhoffius faciliorem ordinem restituit eo, quod auctore Verrallio versus 942—945 et 961—964 ut ephymnia repetiit. Quae ratio eo magis fidem habet, quod alterius ephymnii primus versus πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν re vera in fine carminis traditus est.

Oberdickius[2]) canticum ex norma Terpandri hunc in modum disposuit:

„Archa (α 935—941) Katatropa (β 942—945), Omphalus (α'γ 946—961), Metacatatropa (β' 962—964), Sphragis (γ' 965—972)."

Sed stropharum α et γ' (= αβ') sententiae sibi non respondent; altera enim ad necis ultionem, altera ad restitutam domus incolumitatem refertur.

---

[1]) v. 794. ἀμείψει ad Jovem spectat. De interpretando hoc loco cf. Schoemann. l. l. Sed recte Weilius observavit huic interpretationi obstare adiectum θέλων. Nam non deos pro beneficiis libenter gratiam excepturos, sed se libenter reddituros esse solent polliceri. Neque offensio tollitur vertendo „si cupis". Nam pro beneficiis non, si cupiant, sed utique deis gratiam pollicentur. Itaque una addita litterula scribendum videtur παλίμποιν' ἀνθελὼν „pro ea re (scil. quod illum superiorem inimicis reddidisti) adeptus", v. 795, fortasse legendum est: πημάτων δ' ἐν δρόμῳ προστιθεὶς μέτρον κτίσον (Ahrens.) σωζόμενον ῥυθμὸν τοῦτ' ἰδεῖν διὰ πέδον (Franz. Ahrens) ἀνυμένων βημάτων ὄρεγμα (Ahrens.) — 800 οἵ τ' ἔσω Herm. 801 ἐνίζετε Herm. — Versum 815 πολλὰ δ' ἄλλα φανεῖ χρηΐζων κρυπτὰ auctoribus Seidlero, Schützio, Bambergero ut spurium eiciendum censeo. (Cf. Enger. l. l. p. 442.) Rectissime Bambergerus putat adiectivum quoddam ad Mercurium referendum excidisse, sed νύχιος Mercurio non attribuebatur, aptius videtur δόλιος vel λόγιος. — De emendatione ceterorum versuum prorsus desperandum est.

[2]) Progr. Münster 1878. p. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic igitur sententiarum[1]) ordo est:

I. Ut Priamidae ita Aegisthus et Clytaemnestra deorum auxilio poenas dederunt, quare laetitia exsultandum est. *αα'*.

II. Ut Apollo vaticinatus est, noxios ultio assecuta eorumque imperium subversum est, itaque mox domus purgato omni piaculo in integram salutem restituetur, quare laetitia efferri debet. *ββ'*.

7. De canticis Eumenidum fabulae.

In cantico primo[2]) (v. 143—177) hic sententiarum nexus est:

I. Captivus nos subterfugit. *α*.

II. Hoc Apollinis dolo fit. *α'*.

III. Inde evenit

1) Furiis ignominia et dolor, *β*,

2) Apollini macula, *β'γ*.

IV. Tamen ille iustam poenam effugere non potest. *γ'*.

Ambigitur, utrum hoc canticum a singulis choreutis an a toto choro vel chori partibus recitatum sit. Qui illud putant, primum ipsius cantici argumentum afferunt, qua vehemens Furiarum concitatio exprimatur, deinde scholion Mediceum *κομματικῶς ἕκαστον κατ' ἰδίαν* < lege *κατ' ἴδια* > *προενεκτέον, αἱ γὰρ διακοπαὶ πρόσφοροι τοῖς πάθεσιν*, denique verba scriptoris vitae Aeschyli: *τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον κ. τ. λ.*

Hermannus canticum quattuordecim choreutis attribuit, trimetros iambicos qui antecedunt coryphaeo.[3])

Bambergerus (l. l. p. 20) strophas *αα'ββ'γ* singulis quindecim choreutis, antistropham *γ'* coryphaeo attribuit artificiosius quam rectius.

Non melius Passovius (Opusc. p. 89) totum carmen inter quindecim choreutas, atque in diversis quidem stropharum et antistropharum locis, distribuendum censuit.

Contra Hermannum in universum dicendum est carmen strophicum vix ita dilacerare licere.[4]) Accedit quod versus 143 et 145, 149 et 151 eisdem choreutis tribuit, qua re, cum reliquis choreutis singulas cuique carminis particulas tribuerit, omnis aequabilitas tollitur et intellegitur carmen inter quattuordecim choreutas non bene dividi. Scholion vero Mediceum haud scio an non pertineat ad

---

[1]) In universum sententiae huius cantici quodammodo perspiciuntur; sed varia criticorum conamina nos docuerunt de singulis emendandis desperandum esse. v. 940. recte Pauwius, Seidlerus, Boeckhius, alii ex scholio *ἤλασε δ' εἰς τὸ τέλος τοῦ δρόμου, ὅ ἐστιν ἤνυσε τὸν αἰῶνα* aoristum verbi *ἐλαύνειν* restituerunt. Sed praeterea ex eodem scholio pro *πᾶν* rescribendum est *τέρμ'*. Cf. Soph. El. 686. v. 965 Elmsleius et alii *χρόνος* scribunt, cui vix convenit *παντελής*. Aptius est ad significandum prosperum rei eventum omnia consummantem *καιρός*, cuius solita interpretatio est *χρόνος*. Cf. Hesych. *καιρός· χρόνος. Καιρὸς ὅταν* idem est quod *καιρὸς ᾧ ἄν* — v. 967. *ἐλαθῇ* Kayser.

[2]) v. 169. Vulgata: *μάντι σῷ μιάσματι μυχὸν ἐχράνατ'*. Ex coniecturis, quas protulerunt homines docti probabilissima est Heimsoethii *μάντις ὂν μ. μ. ἐχράνατ'*. ('Vates i. e. Apollo suum antrum maculavit'), Scholefieldi *μάντι σὸν... ἔχρανας* non aeque apta videtur, quod in exordio tantum cantici Apollo compellatur, in fine autem dictum est *οὐκ ἐκλύσεται*. v. 177. *ἐκ γένους* Weil.

[3]) Consentiunt cum Hermanno Prien. Rhein. Mus. VI. p. 180 et Schultzius Progr. Königsberg i. d. N. 1873. p. 18.

[4]) Cf. Bergk. de Soph. vita p. XXVI et Rossbach. Ind. lect. aest. Vratisl. 1860 p. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recitationem singulorum choreutarum. Probabiliter enim Westphalus (Prol. p. 126) illud *διακοπαί* ad orationem interruptam primae strophae et antistrophae, — *ἐπάθομεν, ἐγώ* cui scholion adscriptum est, *ἐπάθομεν, ὄλεσα* — ad asyndeta et breviloquentiam pertinere censet. Quin etiam ex voce *προενεκτέον* colligendum est de distribuendo cantico scholiastam non cogitavisse. Rectissime igitur dicit Frankius:[1]) „Verba declarant scholiastam consilium modo tradidisse, quomodo enuntiantes hoc canticum summos affectus et excitatissimas passiones complectens actores maxime animos spectatorum moverent.“[2])

Inde colligimus etiam scriptorem vitae Aeschyli non hoc canticum sed alterum significare, quod sine dubio inter singulos choreutas distribuendum est.

Aliam viam primus Rossbachius ingressus est, qui censet hoc canticum inter hemichoria distribuendum esse ita, ut intra strophas et antistrophas hemichoria se excipiant hunc in modum: „Str. et ant. I. *ABAB*, str. et ant. II *AB*, str. III totus chorus.“[3]) Rossbachius putat opinionem suam confirmari threni exemplo, qui est in Sept. 874 sqq., ubi hemichoria intra strophas in manuscriptis adnotata sunt. Sed ipso illo loco librorum adnotationes de distribuendis versibus admodum variae ac dubiae sunt. Semper igitur primum ex uniuscuiusque loci argumento iudicandum, deinde hoc iudicium cum librorum mss. notis comparandum est. Atque hoc quidem loco verbis *ὕπνῳ . . . ὄλεσα* (v. 148) adicitur causa verborum quae antecedunt: *οἴχεται θ' ὁ θήρ*, itaque opinor alteri hemichorio ea tribuere non licere. Accedit quod Rossbachius, ut responsionem accuratam reddat, versum 150 cum versu 153 commutare cogitur;[4]) denique antistropham *α'* in duas partes divellere vetamur arto nexu verborum *ἐπίκλοπος πέλει, νέος δὲ καθιππάσω τὸν ἱκέταν σέβων, τὸν δὲ ἐξέκλεψας.*[5])

Quae cum ita sint, Kirchhoffius totas strophas et antistrophas hemichoriis attribuit. Sed cum chorus modo expergefiat, aptissime stropha et antistropha *αα'* singulis ducibus hemichorium tribuuntur, sicut Frankius fecit. Id suadetur et voce *φίλαι* et numero plurali in v. *ἐπάθομεν* et numero singulari in v. *ὄλεσα*. Versus 144 vero ut in parenthesi dicitur. Strophas *ββ' γγ'* quoque Frankius hemichoriis tribuit, sed nihil nos prohibet toti choro eas tribuere.

De cantico altero (v. 255—275) Weilius dicit: „Non est antistrophicum neque tamen caret concinnitate.“ Sententiae ita se excipiunt:

I. Fugitivus nos effugere cupit Palladis praesidio. v. 255—260.

II. Sed ob matricidium nobis addictus est. v. 261—268.

III. Nam ut scelestus unusquisque poenas det oportet, v. 269—272, Pluto enim memor arbiter est, v. 273—275.

Quomodo hoc canticum recitatum sit, utrum a singulis choreutis an hemichoriis, et quem ad modum apte inter choreutas distribuatur, valde inter se dissentiunt homines docti. Priorum criticorum iudicia dilucide tractavit Schultzius:[6]) tamen ipse sequitur dubiam O. Mülleri opinionem *κατὰ δύο* chorum incurrisse.[7]) Solum recte Arnoldtum (l. l. p. 68) inter quindecim choreutas canticum ita divisisse persuasum habeo: v. 244. 245. 246. 248. 250. 252. 253. 254 (*ὄρα ὄρα μάλ' αὖ*). 255 (*λεῦσσέ τε πάντα, μὴ . . ἀτίτας*) 257. 261. 264. 267. 269. 272 (*μέγας γὰρ Ἅιδης*). Quae Weckleinius (l. l. p. 216) nuper protulit de hoc cantico ut

---

[1]) Progr. Liegnitz. 1875, p. 14.

[2]) Cf. Schultzium, Progr. Colberg. 1856 p. XVI, qui docet etiam e re scenica intellegi h. l. chorum non *σποράδην* incurrisse.

[3]) Assentitur Wecklein. Technik. p. 230.

[4]) Cf. Schultzium l. l. p. 18.

[5]) Hoc in Bambergerum quoque monendum est.

[6]) Progr. Königsberg. 1876. p. 5.

[7]) Cf. G. Hermann. Opusc. VI. p. 47 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

novum argumentum duodecim tantum choreutis Aeschylum usum esse, haec satis dubia sunt. Primum enim nec primam horum versuum seriem, sicut ceteras, a trimetro incipere nec verba *περὶ βρέτει* cum v. *πλεχθείς* unum dochmium facere necesse est. Deinde tota Weckleinii partitio nititur hac ipsa opinione duodecim tantum choreutis Aeschylum usum esse, quoniam coryphaeum alterius hemichorii ducem existimat. Atque etiam mirandum est, quod ille totum alterum hemichorium versus 255 et 256 pronuntians facit, alibi autem singulos tantummodo choreutas loquentes.[1]) Illi enim versus non maiorem vim quam ceteri habent et propter rhythmum ad sequentes versus pertinent. Denique haud ita perspicuum est trimetros 244—253 tam arte cohaerere, ut non a singulis enuntiari potuerint. Hoc unum Arnoldti partitioni opposuerit quispiam, quod versum 255 dispertitus sit, sed id eo excusatur, quod chori concitatio vehementissima est. Suo igitur iure Arnoldtus contendit ex hoc ipso cantico intellegi quindecim choreutis Aeschylum usum esse in Orestia. Itaque confirmantur testimonia ex ipsa antiquitate nobis de hac re tradita (schol. Med. ad Eum. 585 et quod ad Agamemnonem pertineat schol. Aristoph. Equit. 589), quae minime spernenda erant Weckleinio.

Canticum tertium (v. 321—396) saepe et varie a criticis pertractatum est. Inde ab Hermanno acerrima dissensio erat de ordine stropharum ac sententiarum nexu. Ex quo Hermannus Heathio auctore versus *μάλα γὰρ οὖν . . . δύσφορον ἅταν*, qui in libris post versum 376 *ὀρχησμοῖς τ' ἐπιφθόνοις ποδός* leguntur, post versum *λέσχας ἃς ἀπηξιώσατο* posuit, plerique editores hoc exemplum secuti sunt. Prienius[2]) vel propter sententiarum nexum transmutationem illam necessariam esse censet. Quam cum sententiam Rossbachius[3]) ita infirmaverit, ut suo iure contenderet, „illa qui neget bene procedere, lucem a nocte differre negare", probata retractare supersedeo.

Schoemannus hunc exhibet ordinem: *A.* 321—333. *A.* 334—346. *B.* 347—353. *M.* 354—359. *B.* 360—365. *M.* 366—368. *T.* 373—376. *M.* 369—372.[4]) *Γ. Δ. Δ.* perquam artificiosum. Accedit quod in hoc ordine antistropha *B* uno versu brevior est quam stropha *B* et tres mesodi versuum numero impares sunt, id quod et Hermannus et Rossbachius merito vituperaverunt.

Merkelius lacunas suspicatus post versus 367 et 380 eodem versuum numero qui est in strophis *ἀνατροπάς κ. τ. λ.* et *μάλα γὰρ οὖν κ. τ. λ.*, proxime ad verum accessit.

Ipse Rossbachius strophas hunc in modum disposuit: *α β α' β' γ μεσ. δ γ' ε μεσ. δ' ε' ϛϛ.*

α. v. 321. *β* 329. *α'* 334. *β'* 342. *γ* 347—374 *δωμάτων γὰρ εἰλόμαν*. *δ.* 355—359 *ἀνατροπάς κ. τ. λ.* *γ'.* 360—367. *ε.* 373—376. *δ'* 369—372 *μάλα γὰρ οὖν κ. τ. λ.* *ε'* ϛϛ'. Qui ordo mihi primum admodum arrisit, praesertim cum ita librorum auctoritas servetur sententiarumque continuatio bene procedat. Id unum, in quo offendi poterat, quod verba *δωμάτων γὰρ εἰλόμαν ἀνατροπάς* artissime conexa divellit strophae *γ* et mesodo *δ* ea attribuens, excusare conatus est exemplis ex ipso Aeschylo desumptis. Sed Schultzius (l. l. p. 17) demonstrat „nullum horum exemplorum illi loco prorsus simile esse itemque ut responsionem mesodorum restitueret Rossbachio non contigisse nisi mutatis quibusdam verbis; qua mutandi necessitate dissuaderi illarum responsionem iam Schoemannum censuisse." Itaque Schultzius auctoribus Schneidero et Merkelio ephymnia huic cantico inseruit iterans Rossbachii mesodos post eius antistrophas *γ'* et *ε'* ita tamen, ut non, sicut Schneiderus fecit et Kirchhoffius pariterque Rossbachius in mesodo *δ*, medium ephymnium inde a voce *ἀνατροπάς* exordiretur sed a versu antecedente

---

[1]) Contra Muffius l. l. p. 23. haec dicit: „Man denke: in Halbchören soll der Chor einziehen, was bei der Erregung der Erinyen wenig wahrscheinlich ist, und von dem einen spricht erst der Führer, dann die Gesammtheit der sechs Glieder, während von dem zweiten jeder einzelne zu Worte kommt. Was ist das für eine Responsion zweier gleicher Hälften?

[2]) Rhein. Mus. VI. p. 187.

[3]) Progr. acad. Vratisl. 1859. p. 13.

[4]) Dindorfius hos versus transposuit, item versus 377—380. Weyrauch. Progr. Breslau. 1878.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

δωμάτων γὰρ εἰλόμαν ἀνατροπάς κ. τ. λ. Cui sententiae cum versus antistrophicus *ἃς ἀπηξιώσατο* obstaret, quo antistropha tetrapodia trochaica catalectica longior evadebat quam stropha, eiecit eum et versum antecedentem (v. 366) hunc in modum mutavit: *Ζεὺς γ' αἱμοσταγὲς ἃς ἀπέωσεν ἔθνος τόδε λέσχας,*[1]) ut sensus verborum *ἃς ἀπηξιώσατο* illo versu contineatur. Hoc modo prudenter difficultatem vitavit, qua laborat ephymnium a Schneidero et Kirchhoffio constitutum, in quo vox *ἀνατροπάς* prorsus sine ullo nexu cum antistropha ipsoque ephymnio legitur. Attamen vitata illa difficultate ipse novam movit. Quomodo enim *ἀπηξιώσατο* in contextum irrepsisse putandum est? An interpolationem eam pro voce *ἀπέωσεν* esse putavit Schultzius? Certe hoc parum credibile est. Patet enim verbum *ἀπηξιώσατο* Furiis, quae illud Jovis facinus iniustum iudicent, dignissimum esse. Accedit quod Schultzius vocem *ἀξιόμισον* ut glossema eicere coactus est. Auctores quidem laudat Rossbachium et Weilium et alios contendentes Furias non se ipsas odio dignas dicere posse. At Furiarum hanc esse sententiam non est quod putemus. Immo Jovis sententiam h. l. pronuntiant Furiae et adiectiva illa non obiecto *τόδε ἔθνος* attributa sunt sed praedicato *ἀπηξιώσατο.*[2]) Etsi igitur Schultzii medelam ingeniosam existimo, tamen violentior est, quam ut comprobetur.

Illud *ἀνατροπάς*, quod est in Schneideri et Kirchhoffii ephymnio defendit Weckleinius (l. l. p. 223) his verbis: „*ἀνατροπάς*, welches freilich nur durch die Erinnerung an das kurz vorhergegangene *δωμάτων ἀνατροπάς* eine klare Bedeutung erhält, steht als Apposition zu *τάσδε μερίμνας* . . . Dass man *αἱμοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος* je einmal auf die Erinyen selbst hat beziehen können, ist kaum begreiflich."

Cuiusmodi sit nexus sententiarum, non dixit vir acutus. Cum igitur Hermannum vituperet, quod *ἔθνος* ad Furias transtulerit, ipsos parricidio inquinatos sic dici videtur opinari et O. Mülleri interpretationem comprobare, qui sic vertit hunc locum: „Einen Erhabenen entheben wir hier des Geschäftes, Unsere Leistung befreit die Götter von Lasten, Fern bleibt ihnen die Prüfung, Zeus hat diesem von Blute befleckten verhassten Geschlechte seinen Göttersaal versagt."

Num hic sententiarum contextus dilucidus dici potest aut satis est perspicuum, quod sit illud genus? Nec magis clarum reddidit verborum nexum et sensum Franzius sic interpretatus: „Einen Erhabenen machen wir so von dem Amt frei, dass er von Götterbeschluss uns entbinde und dass sie nicht obliegen der Prüfung." Immo sententiarum nexus alius esse nequit quam quem Prienius (l. l. p. 186) indicat his verbis: „Wie wir einerseits, als chthonische Wesen, ein von den Olympiern geschiedenes Loos und Amt haben, ihrer Ehren nicht theilhaftig, so andererseits sind wir eifrigst bestrebt unser Amt selbst zu vollführen, und wollen keine Eingriffe von den Olympiern uns gefallen lassen." De voce *ἔθνος* non video, cur Furiae sic sese appellare nequeant. Nonne fieri potest, ut *ἔθνος* non modo nationem sed etiam turbam et genus significet? Profecto nihilo melius idem vocabulum de nefariis hominibus dictum esset. Nullo autem modo hic de parricidis sermonem esse satis indicatur voce *λέσχας*, quae, cum ad Jovis sermocinationem homines omnino non admittantur, ad solos deos pertinere possit Deinde Furiarum naturae non conveniret, quod dicerent a se deos gravi munere liberatos esse interfectores persequendi, cum hoc munus eis ipsis proprium et perpetuum sit neque ab alio quoquam susceptum; id iam Schoemannus monuit.

Jam cum etiam scholiastes Med. nostram explicationem adiuvet his verbis: *εὔχομαι τοῖς θεοῖς τελέσαι τον τὸ βούλημα καὶ μὴ εἰς μάχην μοι ἐλθεῖν*, sic corrigendum esse hunc locum censeo: *στεύδω μή μ' ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας μηδ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι δίκαις ἐπικραίνειν κ. τ. λ.* Nam illud *θεῶν* quoque nullo modo explicari potest.

---

[1]) In mss. haec sunt: *Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας ἃς ἀπηξιώσατο.*

[2]) Id iam vidit Weyrauch l. l. p. 14. „Die Erinyen sagen, dass Zeus dies Volk als ein hassenswerthes verbannte, also dem Zeus sind sie hassenswerth."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque etiam in ephymnio emendatione opus est; nam structura, quam Weckleinius vult (μερίμνας . . . ἀνατροπάς) difficilior est quam ut satis intellegatur. Bergkius igitur proposuit ἐπιτρέπων. Sed propius ad praecedens ephymnium accedit ἀνατροπεὺς ὅταν Ἄρης κ. τ. λ.

Jam dixerit quispiam mirum esse, quod in ultimo stropharum pari ephymnia desint. Sed eiusdem saltem rhythmi ephymnia ad hanc carminis partem parum conveniebant. Audiatur enim Schultzius: „Quae tamen inaequalitas sententiarum progressui plane est apta. Defervescere enim sub finem totius carminis Furiarum impetum ab omnibus paene interpretibus observatum est, placidiori autem animo etiam placidiores numeri apti sunt neque saevae illi saltationi, quam recte statuit Fritzschius, in fine carminis locus est.“ Itaque poëta cum ephymniorum rythmum antea saltationi concitatae aptum variare nollet, duas postremas strophas eis carere maluit.

Sequatur nunc totius cantici[1]) conspectus sententiarum:

I. De munere suo ab Apolline violato chorus queritur. αα'.
   1) Invocat Noctem matrem, quod Apollo Orestem sibi eripere studeat, in quem terribilem furiarum cantum intentat. α.
   2) Nam eam sibi sortem a Parca datam esse dicit, ut parricidam persequatur; in hunc terribilem furiarum cantum intentat. α'.

II. Quomodo hoc munus sibi contigerit et quomodo id servet. ββ'.
   1) Hoc munus funestum sibi ab initio contigisse ideoque se a deorum coetu abesse et laeto honore carere; nam suum esse domum interfectoris evertere ipsumque perdere. β.
   2) Maxime igitur se eniti, ut hoc munus servet, ne quisquam id sibi adimat aut frustret aut in disceptationem vocet; cum enim a Jovis reliquorumque deorum consuetudine exclusus sit, hunc unum sibi esse honorem; suum esse domum interfectoris evertere ipsumque perdere. β'.

III. Quomodo hoc munus exerceat. γγ'.
   1) Nullo discrimine noxios se persequi celerique impetu prosternere, γ,
   2) antequam sentiat, (adeo enim scelere eum occaecatum esse) noxium cadere et obscura tantum fama interitum domui eius impendentem divinari, nam celeri se impetu prosternere, γ'.

IV. Perpetuum hoc munus sibi manere semperque honoratum δδ'.
   1) perpetuum δ,
   2) semper honoratum δ'.

Argumenti igitur partes primariae singulis stropharum paribus, secundariae singulis strophis continentur.

---

[1]) De interpretando et emendando carmine haec animadverto:

v. 347 τάδε ad ea quae sequuntur pertinet.

350. verba ἀθανάτων ἀπέχειν χέρας aptum sensum non praebent ac frustra laboraverunt interpretes in eis explicandis. Aptum videtur ἀπέχειν δέμας pro ἀπέχειν ἡμᾶς. Cf. Prom. 145 σὸν δέμας i. e. σέ.

353. ἀπόμοιρος ἄκληρος O. Müller.

360. σπεύδω μή μ' ἀφελεῖν τινα τάςδε μερίμνας μηδ' ἀτέλειαν κ. τ. λ.

363. ἐμαῖσι δίκαις Prien. λιταῖς enim, si activo sensu intellegitur, ad Furiarum indolem non convenit, sin passivo sensu, quod Hermannus voluit, longius a sermonis consuetudine abesse videtur Mutatio fere nulla est.

370. σραλερὰ <γὰρ> ταυνδρόμοις in parenthesi posita esse docet Hermannus.

378. Verba τοῖον . . . πεπόταται interposita esse volo et proxima καὶ δυσφεράν . . . φάτις non his sed cum praegressa sententia πίπτων . . λύμα iungo.

387. δυςποροπαίπαλα Heimsoeth.

394. γέρας πέλει παλαιόν Ahrens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cantici quarti[1]) (v. 490—565) haec divisio videtur esse:

I. Mala exponit chorus, quae violatum suum ius secutura sint. αα' ββ'.

1) Fore, ut sublatum sit omne flagitiorum impedimentum, eamque rem parentibus perniciosam fore; α.

2) Nam cum Furiarum timor neminem iam coerceat, frustra homines quaesituros esse, quibus rebus mala et labores avertant. α'.

3) Fore, ut nemini calamitate afflicto iam liceat iustitiam et potestatem Furiarum appellare, eamque rem parentibus lamentabilem fore. β.

4) Nam ubi timor animos coerceat, homines a flagitiis temperaturos esse, timore autem sublato neque homines neque civitates iustitiam quicquam esse curaturos. β'

II. Temperantiam et iustitiam observandas esse docet, γγ' δδ',

1) temperantiam (γ) et iustitiam (γ') commendat,

2) causam eius rei addit, quod homo insolens atque iniustus meritam poenam non effugiat. δδ'.

Videre licet quam praeclare ordinatae sint sententiae. Duas partes habemus ex quaternis strophis constantes. In priore parte antistrophis causae malorum afferuntur, de quibus in strophis sermo fuit, in altera parte priore stropha et antistropha praecepta temperantiae et iustitiae dantur, altera stropha et antistropha causa additur.

Sententiarum nexum haec figura repraesentat: αα' ββ' γγ' δδ'.

Ex eis, quae disputavi, haec intelleguntur:

Magna est varietas compositionis Aeschyli, quod apparet comparanti singulorum canticorum figuras. Hae enim sunt:

Pers. I. αα' ββ' γγ' δδ' εε' ϛϛ'. Pers. II. αα' ββ' γγ'. Pers. III. αα' ββ' γγ' δ. Pers. IV. αα' ββ' γγ' δ.

Prom. I. α α' β β'. Prom. II. α α' ββ' γγ'. Prom. III. α α' β β. Prom. IV. α α' β.

Suppl. I. αα' ββ' γ γ' δδ' εε' ϛϛ' ζζ' ηη'. Suppl. II. αα' ββ' γγ' δδ' εε'. Suppl. III. αα' ββ' γγ' δδ'.

Suppl. IV. αα' ββ' γγ'.

---

[1]) De interpretando et emendando hoc cantico haec adicio: v. 491. δίκα τ ε καὶ βλάβα. Weilio, qui ad h. l. lepide adnotat iungi ita capreas lupis et corrigit δίκαισιν ἁ βλάβα, opponendum est δίκα h. l. causam significare, quae in iudicio agatur. — 520. τίς δὲ μηδὲν ἐν δέει καρδίαν ἀνατρέφων Hermann. — 550. ἑκὼν δ' coniecit Wieseler pro ἐκ τοῦνδ'. Contra Weilius dicit Furias id agere, ut demonstrent utile esse hominibus, si poenarum metu ad iustitiam colendam adigantur. At huic sententiae obstat ἀνάγκας ἄτερ, quod ipse Weilius tuetur. Immo duo genera hominum discernuntur: plerique, qui metu sapiunt et ei, qui sponte iusti sunt. 551. οὔποτ' non video quomodo explicari possit. Nam aptum non est hominem illum insolenter iniustum malis afflictum nunquam gloriari vel gloriatum esse sed non iam gloriari, cum antea gloriatus sit. Scribendum igitur οὐκέτ'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sept. I. ἄστροφα 78—108 αα' ββ' γγ'. Sept. II. αα' ββ' γγ'. Sept. III. αα'β β'γγ' δ δεε'. Sept. IV. αα'.

Agam. I. αα'β γγ'δ δ'εε' ϛϛ'ζ ζ. Agam. III. αα' ββ'γ γδδ'. Agam. IV. αα' ββ'.

Cho. I. αα' ββ'γγ' δ. Cho. II. αα' ββ'γγ' δδ'. Cho. III. αα' ββ' γγ'. Cho. IV. αα' ββ'.

Eum. I. αα' ββ'γ γ'. Eum. III. αα' ββ' γγ' δδ'. Eum. IV. αα' ββ' γγ' δδ'.

Inde intellegitur sententiarum partes congruere aut cum singulis strophis aut cum stropharum paribus. Unum canticum exstat, Agam. II, (v. 367—474), in quo sententiarum partes non cum strophis conveniant sed in ipsis strophis finiuntur.

Cum singulis stropharum paribus sententiarum partes finiuntur in his canticis: Pers. II. Sept. I. IV. Agam. IV. Cho. IV. Eum. III., quae compositio simplicissima est.

Ceterorum canticorum figurae perplexiores sunt, quod ex nostro conspectu apparet. Memorabile autem est interdum trinas strophas conexas esse ut in his canticis: Suppl. I., Eum. I., imprimis Sept. III., Agam. I. III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf